# DE PHTHISI LARYNGEA TUBERCULOSA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM DORPATENSI,

UT GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE

RITE ADIPISCATUR,

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

*ERNESTUS CARLBLOM,*

ESTHONIA ORIUNDUS.

BIBL: Y. 1187. ACADEM: DORPAT.

DORPATI LIVONORUM

TYPIS J. C. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI,

MDCCCXXVI.

Imprimatur,
ea tamen conditione, ut, simulac typis excusa fuerit haec dissertatio, septem exemplaria collegio, cui censura librorum mandata est, tradantur.

Dorpati Livonor. d. v. mens. Jun. MDCCCXXVI.

Dr. Martinus Ernestus Styx,
h. t. Decanus.

D 16600

Fratribus suis carissimis

**Petro,**

olim sacerdoti ecclesiae Sti. Mathiae et sanctae Crucis in Esthonia,

**Friderico,**

sacerdoti ecclesiae Sti. Olai Fellini,

**Johanni,**

sacerdoti ecclesiae Stae Catharinae in Nukkoe peninsula Esthoniae,

Augusto,

inter praeceptores primarios gymnasii Dorpatensis
religionis disciplinam et linguam hebraicam
graecamque docenti,

Paulo,

Theologiae candidato

D. D. D.

Auctor.

## *Introductio.*

Quamvis in tanta autorum de phthiſi frequentia, quantam Ploucquentus (1) indicat, juveni, artis medicae veſtibula modo ingreſſo, haud videatur congrum, imo inutile ac temerarium conſilium, qualiacunque in medium proferendi, quae ſive ad mere theoreticam ſive ad practicam ejus rei notitiam promovendam conducant, praeſertim ſi is majus quoddam praeſtare cupiat, quam aliena ſcripta compilare atque in ſuum uſum convertere; nihilominus tamen, omnibus, quae a propoſito mentem avertere potuiſſent, rationibus rite perpenſis ac ponderatis, cauſam meam aequis arbitris me probaturum haud deſpero. Argumentis enim minime contemnendis

1) Bibliotheca medica digeſta.

evinci posse puto, de materia speciali, in hac dissertatione mihi proposita, in universum paucas tantum prodiisse commentationes, easque ejusmodi, quae partim consilio meo in hoc penso suscipiendo parum responderent, partim ob nimiam brevitatem, vel mancam omnino conditionem, vel confusam et inconditam artis praeceptorum adumbrationem nullam fere utilitatem commodumque promitterent. Quae cum ita sint, jam fiducia ac spiritus ei potest accedere, qui affectionem morbosam novi fere generis, in qua multa adhuc sunt obscura nec satis expedita, tractare instituit. Quatenus vero instituti mei rationem re vera servaverim, num porro in tanta propriae experientiae inopia, quae exponenda erant, quantum per vires licuit, probe et dilucide exposuerim, nec in ea vitia inciderim, quae scientiae tenuitatem comitari solent, vel ex alia quacunque causa nascuntur, ea quidem omnia non mei sunt judicii, sed praeceptoribus carissimis dijudicanda ac decernenda relinquo.

Ne autem temere a me dicta videantur, quae supra de supellectilis literariae in hoc nostro argumento defectu proferre ausus sum, jam commemorare juvat, me librorum numerum, quem Ploucquetus in opere citato exhibet, diligenter perscrutasse. Inter hos tres tantum libellos de phthisi laryngea perfunctorie mentionem injicientes reperire mihi contigit, quos vero propter mancas et sine omni symptomatologia institutas observationes vix quibus animus advertatur dignos



censeo. Duos horum libellorum, a Boneto (2) et Lanzonio (3) editos, ipse evolvi, pluraque in iis desideranda esse luce clarius perspexi; de tertio, cujus Auctor est Petit Radel ad Machride, quem examinandi copia mihi non est data, ad Sachsium (4) testem provoco. Praeterea libros didacticos, medicinam practicam illustrantes, medicorum celeberrimorum, e. g. G. Richteri, Haasii, Conradi, Haeckeri aliorumque, scripta itidem Portalii et Lieutaudi, quae posteriora observationum ubertate multis aliis sunt anteponenda, haud neglexi, neque tamen et in his perlustrandis dubium mihi fuit, quin multa deficerent ad accuratiorem de phthisi laryngea cognitionem pertinentia; ingenue potius mihi est fatendum, illos ob expositionis brevitatem, hos multosque alios viros, in coetu literario disciplinae nostrae notissimos, quos nominatim laudare hujus loci non est ideoque supervacaneum esset, nequaquam mihi satisfecisse. Ita neque erat cur mirarer, si casus morbi descriptos inveni, v. c. a. D. D. Holstio (5) et Seidlero (6), qui, secun-

---

2) Sepulchretum, Lib. II., Sect., VII. Observatio 9.

3) Opera omnia, Lausannae 1788, Tom. II.

4) Beiträge zur genauern Kenntniſs und Unterscheidung der Kehlkopf- und Luftröhren-Schwindsuchten, Hannover 1821, pag. 83 et. 84.

5) Hufelandi Journal, tom. VII., Segmentum IV. pag. 429.

6) Rusti Magazin, IV. Band, pag. 429.

dum symptomata allata considerati, nomen phthiseos laryngeae falso prae se ferrent (multa enim, et quidem praecipua hujus phthiseos symptomata aberant, atque remedia, quibus malum removere conabantur, alium statum morbosum indicare mihi visa sunt), neque silentio praetereundum, sane quidem nostri generis causis expositos legi, sed qui nomine phthiseos laryngeae tuberculosae, revera congruo, careant, uti e. g. apud Brisbane, Anglum (7), et Joerdensium (8) videre licet. W. Sachsii libellus jam memoratus, cum accurata diagnosi, tum casuum multorum enumeratione conspicuus, mentione omnino dignus est, et, quoad dicta momenta, debita gaudet laude: sed haec bonae notae commentatio unica quidem in eo genere exstat, atque, si a momentis aetiologicis, hic illic allatis, et curandi praeceptis discesseris, quae posteriora, finis sibi propositi memor, innuere potius, quam persequi maluis auctor, arctioribus limitibus circumscripta est, nec ubique in usum vocari potest.

Quum igitur, quae hucusque in lucem prodierunt, morbi nostri, nulli parcentis aetati ac corporis constitutioni, frequentissime obvii pluribusque in casibus periculum minantis, expositiones variis laborent

7) Auserlesene Fälle der ausübenden Arzenei-Kunst, Altenburg 1777, pag. 17 et 19.

8) Hufelandi Journal, X. Band, III. Stück; pag. 84.



incommodis, cum mancae sint et imperfectae, consilium accuratius de eo disserendi haud vituperabunt lectores. Nihil quidem ad rem ex sententia conficiendam mihi suppetit praeter voluntatem et studium cavendi, ne quid, quod ab aliis omissum vel peccatum est, mihi in culpam vertatur. Sed hoc ipsum studium aequi bonique consulent rerum periti, quae vero in argumenti explanatione me nescio vitia irrepserint, juveni tironi benevoli judices condonabunt, praesertim si rite perpenderint, quam arduum sit ac multi laboris, deficiente plerumque propria experientia, e diversissimis scriptorum de argumento nobis proposito sententiis optima quaeque et verissima colligere. Quilibet hujus difficultatis haud immemor, si qua peccata animadvertet, eam nobis non denegabit indulgentiam, quam imploravimus.

Ut vero in tota morbi imagine exprimenda perspicuitatis et evidentiae ratio, cui pro virili parte studui, sibi constaret non praeter rem theoretice et practice spectatam egisse putavi, si, in diagnosi adumbranda atque in universum hac phthiseos specie describenda eandem, quam in phthisi pulmonali tuberculosa adoptare solent, distinctionem secutus sim, atque totum morbi decursum trium stadiorum terminis inclusi. Illa quidem hic minus firma et idonea apparent, quatenus non semper tam constanti modo ad conspicuo, quam in phthisi pulmonali tuberculosa, observantur; quod tamen cum aliqua tantummodo ex

septione dici potest, de primo videlicet et ultimo stadio, et hucusque in nonnullis paucisque duntaxat casibus animadversum est; cui rei tum causa, intensive magis in corpus vim noxiam exserens, tum etiam consensualis nervorum affectio in organo aegroto, majori vel minori gradu obvia, nec minus peculiaris hujus et angusta conformatio ansam praebuit. Sententiam, qua morbum hunc, statu morboso jam excullo, tanquam sequelam affectionis tuberculosae in partibus glandulosis laryngis considero et idcirco in certa eum stadia describendum censeo, ex ipsa morbi imagine, e causis, curationis modis et cadaverum sectionibus repetii, tum vero etiam ex iis, quae de tali laryngis affectione in morbi casibus magno numero a Sachsio in libello laudato narratis, item in aliorum scriptorum illustrium, ut Lorinseri (9), Haasii (10), Marci (11), Caroli Belli (12) operibus annotata inveni. Posterior disertis verbis: „Glandulosa," inquit, „laryngis conformatio hujus morbi sedes est; glandulae „increscunt, tum pus effundunt ac fluidum purulentum ejiciunt."

9) Ueber die Entzündungen der Lungen, Berlin 1825. pag. 64.

10) Specielle Therapie, IV. Band, pag. 125.

11) Specielle Therapie, II. Band, §. 1109.

12) Rheinische Jahrbücher der Medicin und Chirurgie, II. Band, II. Stück, pag. 58.



Pro instituto et consilio meo jam, quantum in me situm erit, in dissertatione mea componenda hanc viam inibo, ut primo e symptomatibus morbi casuum, quos duce Professore, clarissimo eodemque praeceptore carissimo, Dr. Struvio, observare licuit et e casu quodam a me ipso observato accuratam hujus formae morbosae diagnosin deducam, simul symptomata nonnulla principalia, ea praesertim, quae huusque neglecta, a Sachsio vero morbo nostro omnino propria ac primaria habita sunt, respicere et examini epicritico subjicere constitui. Tum in animo est, ostendere, quaenam sit aptissima hujus morbi divisio, quatenus ab aliis morbis in affinibus differat, quanam hominum aetate quam frequentissime occurrat suaque tributa exigat. Denique quid e cadaverum sectionibus prodeat, quae momenta aetiologica huic morbo sint attribuenda, quomodo prognoseos omina hinc derivanda atque cura ex meo quidem judicio aptissime sit instituenda, docebo. Antequam vero ad specialem morbi diagnosin progrederer, ut diligentius rem tractarem, diagnosin universalem praemittendam esse putavi, i. e. operam dedi, ut symptomata primaria, huic affectioni propria, indicarem, e quibus ejus indolem phthisin referre cognoscatur. Praeterea hoc loco breviter monere libet, hanc passionem nunquam quasi in habitu quodam phthisico positam considerari posse, sed semper potius ex universali quodam vel locali statu morboso originem ducere.

Ita enim phthiseos nomen, quod forsan in singulis morbi conditionibus nonnullis falsum videri possit, probatur, quatenus videlicet, ut experientia docet, et nondum quidem manifesta, sed jure praesumenda suppuratio partium glandulosarum organi aegroti, jam sine hecticae affectionis praesentia mortis periculum adferre potest.

Quodsi vero conditiones ejusmodi, quarum mentio supra facta est, praesto erant, nihil aliud de iis existimandum, quam harum causam in vomicis plane excultis quaerendam esse, quae, infausto exitu superveniente, prius quam hectica affectio, cum omnibus symptomatibus eam comitantibus, excoli poterat, suffocatione aut paralysi (13) vitae finem imponunt, qui eo citius adest, quo gravius ac fortius causa pestivera, simul cum suppuratione ultra semper procedente, in corpus agit.

His ita constitutis, et illis conditionibus phthiseos nomen haud inepte concedi posse arbitror.

Sed haec jam sufficiant prolegomena, quorum in fine spes jucundissima animo meo obversatur, fore, ut in tractando argumento nondum satis explorato et pertractato lectores humanissimi incipientis adhuc medici molimina serena fronte excipiant, et si non omnino, aliqua tamen ex parte probent. Nimis vero severos ac difficiles speciminis mei judices rogo atque oro, ut memores sint veteris sententiae: „Quod potui, feci, faciant meliora potentes."

13) Rheinische Jahrbücher der Medicin und Chirurgie, II. Band, II. Stück, pag. 57. — Charles Bell.



## *Diagnosis in genere.*

Morbus ille, quem Phthisin laryngeam tuberculosam vocamus, in universum hic potissimum signis ac symptomatibus distinguitur: Raucitate qualibet, post diatheses phlogisticas membranarum pituitariarum et glandulosarum laryngis partium orta, cumque hebete, si vero collum tangitur vel circumagitur, aucto et pungente dolore in certo quodam laryngis loco conjuncta, hujus tumore, deglutiendi facultate impedita, saepe vero penitus sublata, tussi brevi, latrante, rauca, in ulteriori progressu magis vexante, tussim in angina membranacea obviam referente, respiratione stridente, abrupta, fluidi purulenti subbrunei, e luteo ravi, viridis, incruenti, passim striis sanguineis commixti expectoratione, odore puris ex ore, voce initio acute sonante, postea rauca, blaesa, spirante, mane vero penitus propemodum extincta, febre hectica principio leni vel nulla,

serius vero plane exculta, corporis macie ac debilitate universali, omnis denique generis colliquationibus.

## *Diagnosis in specie.*

1. Stadium inflammatorium. Hocce stadium in universum dignoscitur statu sub-inflammatorio in organis palati mollis, faucium ac laryngis (14), cum quo conjungitur partium glandulosarum subnascens durities, proinde tuberculorum formatio (15), item resolutio et condensatio (16) membranarum mucosarum, utique vero laryngis, quae conditiones probabiliter inflammationem per longum temporis spatium agentem, vel adhuc dum permanentem sequuntur, atque durante toto reliquo morbi decursu plus vel minus e symptomatibus cognoscuntur. Hinc igitur liquet, primum stadium nihil aliud esse, quam exitum irritationis chronico-inflammatoriae organorum glandulosorum et membranae mucosae laryngis, seu, ut aliis verbis utar, exitum catarrhi chronici in larynge, qui partim diuturnitate et aegroti negligentia membra-

14) Thomanni Annales instituti medico — clinici, Würzeburgensis, volumen 1., pag. 163. — Delpitii Dictionaire des sciences medicales, tom. XXVII., pag. 267.

15) Marci Specielle Therapie, II. Band, § 1109.

16) Lorinseri Krankheiten der Lungen, Berlin 1823, pag. 64.



nis pituitariis in consuetudinem jam transiit, partim vero etiam organorum respirationis, praesertim laryngis, tenui debilique structurae organicae, cum magno ejusdem irritabilitate ac sensibilitate consociatae, originem debet. Haec autem, quam dixi, irritabilitas vel innata, vel serius ob varias causas, e. g. scrophulas, exanthemata etc., inprimis vero catarrhorum saepius redeuntium ope comparata esse potest (17), atque hoc in statu ad indurationem partium glandulosarum laryngis provocandam valde est proclivis (18), quae praesente inflammatione tandem in suppurationem abeunt, eoque illam progenerant pthisin. Jure equidem hocce stadium pro primo phthiseos laryngeae tuberculosae habendum censeo, cum primo symptomata, postea afferenda, tuberculorum formationem et membranarum laryngis condensationem innuant, deinde ea ipsa symptomata durante toto morbi decursu perseverent, cum denique in enumerandis phthiseos laryngeae symptomatibus Sachsius, Thomannus et Cheyneus (19) illa quidem in universum probe respexerunt, sed tali distinctione supersedere posse existimarint. Elapsis enim nonnullis hebdomadibus, mensibus, imo annis, prout nova catarrhalis affectio

17) Richteri Specielle Therapie, II. Band, pag. 97.

18) Richteri Specielle Therapie, II. Band, pag. 94.

19) Pathology of the membrane of the Larynx, Edinburg 1809, pag. 161.

vel morbosa quaedam organorum remotorum irritatio laryngis organis, quoad temperationem et excitabilitatem mutatis, se communicaverit (20), observamus affectiones phlogisticas palati, faucium et laryngis, item nodulos, grani miliaris magnitudinem aequantes, in posteriori faucium pariete, earum porro et laryngis (21) siccitatem, mane praecipue priusquam e lecto aegroti surgunt (quae vero per reliquum diei tempus vario gradu, verum non tam perspicue et manifesto percipitur), leve impedimentum, interdum etiam sensum in deglutiendis cibis dolentem (22), quem mane exscreando removere student, quique pari passu cum siccitate incedit, tensionem ac sensum injucundum et prementem in regione laryngis (23), quae per vices cum doloribus volatilibus et sensationibus dolorosis ac pungentibus ibidem commutantur (24), nonnunquam

20) Dr. Ficker in Hufelandi Journal, XLVIII. Band, IV. Stück, pag. 26.

21) Thomanni Annales instituti medico-clinici Würzeburgensis, volumen I., pag. 163.

22) Delpitii Dictionaire des sciences medicales, tom. XXVII., pag. 267. — Thomanni Annales instituti medico-clinici Würceburgensis, volumen I., pag. 163.

23) Dr. Ficker in Hufelandi Journal, XLVIII. Band, IV. Stück, pag. 27. — Richteri Specielle Therapie, IV. Band, pag. 738.

24) Sachsius in opere suo jam citato, pag. 51. — Delpitii Dictionaire des sciences medicales, tom. XXVII. pag. 267.



omnino cessare solent, sensum dolentem titillantem in larynge, qui capitis declinatione et circumactione, loquendo, deglutiendo et pressione externa augetur (25), sive etiam frigidum aërem inspirando, loquendo, vel potum, inprimis frigidum, sorbendo, in tussiculam transit cum exscreatione junctam (26). Quae tussicula principio levis et sicca est (27), interdum adeo nihil aliud, quam nisus plane irritus aliquid exscreandi, ut et impedimentum, quod sensu percipitur, tollatur et titillationis molestia mitigetur; deinde tussis oritur catarrhalis (28) levis, quae nullius propemodum videtur momenti, simul tamen spastice erumpit cum expectoratione fluidi niveo-gelatinosi, mucosi (29), modo sub-albi, modo ravi, modo coerulei, vel nigri (30), quod per diem parva tantummodo quantitate, mane vero aucta copia exscreatur. Thomannus pressionem etiam sub sterno affert, quod Delpitius in libro, qui inscribitur: Dictionaire des sciences medicales — Tom. XXVII, p. 267, confir-

25) Schmalzii Diagnostica de dicta morbosa affectione.

26) Dr. Ficker in Hufelandi Journal, XLVIII. Band, IV. Stück, pag. 27.

27) Richteri Specielle Therapie, IV. Band, pag. 738.

28) Sachsius in opere suo jam allegato, pag. 51.

29) Dr. Ficker ibidem, ut apud numerum 26).

30) Richteri Specielle Therapie, IV. Band, pag. 738. — Hassii Specielle Therapie, IV. Band, pag. 227.

mat, ubi haec leguntur: „Bientôt une douleur se „déclare à la partie supérieure du sternum.“ Hae affectiones morbosae sane quidem per temporis aliquid intervallum perseverant, nonnunquam fiunt mitiores et aegrotus bene se habere videtur, donec tandem post frigus corpore exceptum, vel in edendo ac bibendo intemperantiam, symptoma appareat, ad illud usque temporis momentum nondum observatum, raucitatem dico, quae modo remittit, modo crescit (31), postremo stabilis permanet, eademque, quamvis reliqua symptomata in universum levia sint judicanda atque sanitas parum labefactetur, jure tamen ex ipsa patientis sententia symptomatis periculum minantis speciem induit, saltem majoris est habenda momenti quam simplex catarrhus. — Durante hac raucitate, praeterlapso jam aliquo ab ejus initio tempore, secundum incipit stadium,

II. Stadium suppurationis, atque adeo nova symptomatum series conspicitur. Hic vero duo casus sunt distinguendi: sive enim suppuratio in decursu magis chronico affectionum morbosarum, supra memoratarum, sine symptomatum periculum minantium praesentia, quae illius quasi sint praenuncia, statim post glandularum mucosarum singulis locis obviarum, ac superficiei occupationem tanquam suppuratio ex ulcere aperto orta prodit, atque ita communem formam saepiusque occurrentem sistit, 1) phthisin quippe laryngeam exulceratam, — sive etiam in decursu magis acuto, postquam in altum penetraverat, pluresque glandulas lymphaticas simul corripuerat, tanquam suppuratio e vomica plane exculta originem ducens, observatur, eoque modo constituit; 2) phthisin laryngeam a vomica. De hac postmodum!

Cum hac enim raucitate, quae per temporis spatium sine intermissione perseveraverat, status quidam febrilis consociatur, qui principio lenis est, verum tamen, si expectorationis exiguitatem respicias, citato gradu procedit. Cum horripilatione, aestu et rubore genarum fugaci, praesertim lateris affecti, per vices vespere adest, pulsus in eo admodum fit debilis et acceleratus (32), neque tamen ita diu perdurare consuevit, aegrotoque propterea non omnem detrahit somnum. Tempore vero matutino fortes apparent sudores, qui patientem mox debilitant macieque extenuant, fluidi porro male olentis, discoloris, lutei, ravi, viridis, revera puriformis, cum striis sanguineis mixta fit ejectio, vel expectoratio e massis globosis constans, ceu pura saliva cum floccis purulentis, qui in aqua fundum petunt, ceu spuma (33),

31) [illegible] ibidem, ut apud numerum 26.

32) Ut apud numerum 31).

33) Sachsius in opere suo jam memorato pag. [illegible]

ceu fragmenta pseudo-membranarum, ceu ipsa vera cutis (34), denique ceu fragmenta cartilaginea separata, quae ad instar spongiae expansa sunt, vel cornu indolem referunt (35), apparet. Mane inprimis erumpit, cum sensu, ac si non e profundo veniat, vel cum tussi vehemente, sonante, stridente, imo latrante, ut in angina membranacea, quae quocunque cibi paullum liquidi usu, celeri devoratione, quavis atmosphaera pulvere et fumo repleta etc. spastice saepiusque provocatur (36). Interim ob organi exiguitatem parva tantum quantitate exscreatio locum habet, quae per diem indolem magis spumosam retinet. Simul etiam puris odor infestus ex ore provenit (37), qui, morbo ulterius progrediente, saepe circumstantibus et ipso aegroto, licet munditiei studiosissimo, intolerabilis videtur. Membrana pituitaria faucium rubrum colorem induit, et vel magis fit soluta, atque glandulae parvae, granum milii referentes, tumidae dehiscentes, ulcuscula formant lentium magnitudinem aequantia; vox insigniter mutatur, primo fit acuta, serius rauca, debilis, spirans, sibilans et, ut verbis

34) Ut apud numerum 33).

35) Sachsius, pag. 77. — Morgagni de sed. E., pag. 84.

36) Sachsius, pag. 31.

37) Richteri Specielle Therapie, IV. Band, pag. 739. — Schmalzii Diagnostica ejusdem morbi.



Caroli Belli utar, „cum sonitu stridulo siliquae vel „arundinis comparari potest,“ quid? quod ab ipsis circumstantibus vix exauditur, horis matutinis in magna laryngis siccitate fere exstinguitur et tum demum redit, si aegrotus fluidi quidquam sorbuerit (38). Respiratio, quamvis in mera laryngis affectione pectus libere extendi posset, quasi abrupta (39), anxia, spastica, stridens observatur, ita fere, ac si aër per fistulam siccam et angustam (40) vi penetret, aegrotique sensum constringentem queruntur et spiritum attrahendo impedimentum quoddam in larynge accusant. Sensus injucundi, prementes, transitorii, dolorosi, pungentes, titillantes in regione laryngis, qui initio morbi aderant, in dolorem revera permanentem abeunt, cujus sedes plerumque a patiente loco quodam circumscripto indicatur, nec nisi in casibus rarioribus per totum laryngem diffunditur, nonnunquam vero consensu nervorum magis deorsum in tracheam, vel sursum ad linguae radicem propagatur, ubi in faucibus vehementer urere dicitur (41). Nocturno tempore augetur magna faucium et laryngis

38) Sachsius, pag. 54.

39) Sachsius, pag. 33.

40) Richteri Specielle Therapie, pag. 31. — Cheyne: Pathology of the membrane of the Larynx. Edinburg 1809. Pag 178.

41) Sachsius, pag. 54.

siccitate, attactu ac pressione, improvido capitis flexu et conversione, loquendo etcet. Impedimentum, glutiendi negotio obstans, principio exiguum, hoc in stadio summopere adaugetur, aegroti in cibis devorandis saepius offendunt (42), et hanc ob caussam alimenta solida praeferunt, et ista tamen anxie quodammodo ac sollicite deglutire conantur, ne majorem tussis impetum vel dolores in parte laryngis patiente cibis praeterlabentibus provocent, quin imo epiglottide quidem vehementer affecta quilibet liquidos vel solidos cibos sumendi conatus plane irritus erit et per nasum et os rursus ejicientur, ita ut aegrotus, rebus sic comparatis, facile fame consumatur. Porro totalem sive partialem tumorem laryngis, tumorem et indurationem glandularum lymphaticarum in collo (43) et ob vehementem glandularum irritationem in universum et salivationem animadvertimus (44). Postremo duo adhuc in hoc stadio symptomata, a Sachsio primariis adnumerata et in casibus ab eo descriptis semper obvia, sunt consideranda, quae, licet ab eo solo hucusque sint observata, notatu tamen dignissima sunt. Etenim

42) Dr. Ficker in Hufelandi Journal, XLVIII. Band, IV. Stück, pag. 28.

43) Sachsius, pag. 49. — Dr. Ficker ibidem, ut apud numerum 42).

44) Sachsius, pag. 52 et 67.



si ejus auctoritatem sequimur (45), post peractum certum quoddam temporis spatium **vehemens et spasmodica sternutatio** praesto est, quae vel tussi excitatur, vel hujus est praenuncia: subito erumpit saepe decies continua serie, atque dolorem in larynge magnopere cumulat, insignem aegrotis languorem adferens. A sternutatione consueta eo discrepat, quod non cum profunda inspiratione et hanc sequenti exspiratione sonante consociata est, sed e pluribus, cito se subsequentibus aëris ejaculationibus constat, ita fere, ac si felis, avide cibis calidis inhians, eosque gustu explorans, sternutet.

Praeterea idem tanquam symptoma non minus attentione dignum affert, **dimidiam partem linguae in aegroto obductam esse**, quae res sic se habet: in eo latere, ubi patiens dolores queritur, lingua ad medium usque per totam ejus longitudinem muco e flavo albo obtegitur, altera parte vero, quasi plane separata sit, rubrum colorem retinente *).

45) Sachsius, pag, 33 et 252.

*) Mihi quidem duo morbi casus hujus generis in conspectum venerunt. Prior locum habebat in puella, cujus tractus intestinalis multa pituita oppletus erat, quare magna ventriculi debilitate, cum morboso pectoris statu conjuncta, laborabat. Ibi lingua e parte sinistra per totam ejus longitutinem muco albido obtecta reperiebatur, dextera parte colorem insigniter rubrum retinente. Posterior casus in juvene quodam observabatur, qui ex phthisi laryngea tuberculosa laborabat, ubi linguam ita omnino, ut Sachsius indicavit, reperi.

Crassa illa, quae linguam obducit, materia in radice linguae flava est, ulterius vero versus apicem magis alba, quam alioquin in linguis obductis deprehenditur. Inprimis hic albus color tum notabilis est, si reliqua lingua etiam obducta sit, et si ille color non totum linguae dimidium occupet, sed inde a radice ad medium usque patescat, ac coni instar excurrat. Linguae radix itidem mutatur: fit crassior, rubra, papillae ejus alte eminent, et in basi sua ita muco ex albo luteo obtegitur, ac si jam in suppurationem abierit.

Has modo dictas morbi in larynge conditiones vel status colliquativus cum symptomatibus eum stipantibus consequitur, vel alius status, jam prius memoratus, praecedit, qui a Flormanno (46): Cynanches laryngeae (47) nomine primo accuratius descriptus, sed, uti jure mihi videor existimare, a Sachsio (48) falso tanquam species quaedam degenerata phthiseos laryngeae tuberculosae consideratus est. De vomica videlicet, quae in larynge perfecte excolatur, sermo est, quam, quatenus tantummodo e causa intensive magis vim noxiam exserente oritur et saccum

46) Schwedische Abhandlungen, Jahrgang 1790. IV. Quart., Nr. 7.

47) Salzburgische medicinisch - chirurgische Zeitung, Jahrgang 1816, 1. Band, pag. 55 et 56.

48) Pag. 133.



clausum sistit, glandulas lymphaticas suppuratione affectas, ligamenta et cartilagines continentem, haud immerito ad stadium hoc secundum referendam putamus, cum utique, docente experientia, in fausto ejus exitu phthisis, qua talis, ut supra jam commemoravi, patescat. Post symptomatum in primo stadio enumeratorum decursum sive statim, singulis morbosis conditionibus, quae formationem tuberculorum innuere possint, non adeo apparentibus, prout causa quaedam noxia majori vel minori vehementia in corpus egerit, omnia, uti consentaneum est, signa, ad vocis mutationem in casibus communiter obviis pertinentia, conspiciuntur; respirationis vero molestiae clariores sunt. Cum saepe utique omne internum laryngis spatium puris sacculo sit oppletum et aëri transitus claudatur, aegroti vel in periculum suffocationis incurrunt (quae et idcirco locum habet, quia cura sacculum rumpendi irrita fuit, et eo quod pus post rupturam ob magnam copiam per rimam glottidis non tam cito evacuari potest), vel cum humeris in altum sublatis cum magnis brachiorum motibus, cum oculis rigentibus, sub palpebris superioribus absconditis, cum perpetuo et spasmodico laryngis huc illuc motu, denique cum sono semper anxio, stridulo, eique, qui in angina membranacea editur, simili, respirare coguntur (49). Loquela etiam patientis

49) Hawkinsius in Salzburgische medicinisch - chirurgische Zeitung, Jahrgang 1824, IV. Band, pag. 56.

valde impeditur et si caput paululum in anteriorem partem incurrat, omnino loqui non potest. Ob acutum magis causae pestiferae impetum ideoque simul semper praesentem irritationem phlogisticam ac membranarum pituitariarum condensationem plura adsunt signa verae anginae laryngeae, anginae membranaceae et aucti insultus tussis raucae, vexantis, sonum anginae membranaceae imitantis, qui facile mortem adducunt (50), quibusque id proprium est et peculiare, quod, antequam puris sacculus rumpitur, modo mere spumosa, muco commixta, modo vero purulenta quadam expectoratione sunt commitata, prout ulcera aperta praesto sunt sive minus. Pus in sacculo contentum hic tam male olens (51) reperitur, ut odor per membranas clausas penetrare dicatur (52). Deglutitio in quovis casu semper admodum est difficilis, prout puris folliculus major vel minor est, ipsa ciborum liquidorum devoratio quam maximam habet difficultatem, aegrotumque gravissimis exponit cruciatibus. Lingua, docente Flormanno, impura est, pulsus semper parvus et acceleratus, debilitas indies increscit, facies pallet anxiamque prae se fert speciem,

50) Krause et Hampe in nota 131, ad Badham de Bronchitide, pag. 227.

51) Lieutaudi Historia anatomico — medica, tom. II, Observatio 65.

52) Sachsius, pag. 134.



larynx, valde sensibilis, summo vexatur dolore, dolorque iste communiter sedem mali complectitur. Nec deest interdum febris cum sudoribus nocturnis, vires penitus exhaurientibns conjuncta. Ancipiti huic et revera periculosae conditioni multis in casibus forma phthiseos syphilitica subest, quae in decursu satis acuto bubonem purulentum et clausum sistit, serius ocius rumpentem, tum vero formam vulgarem manifestantem. Hawkinsius ceu bubonis sequelam tres diversas ulcerum species statuit, quae in larynge formari soleant, et quatenus haec symptomata nobis offerunt, e quibus bubonem simul adesse facile colligitur, ut de vomicarum formatione disserens jam commemoravi, has diversas species breviter hic tangam. Prima horum ulcerum species in decursu celeri admodum passu procedit magisque acutae est indolis, secunda species lentius decurrit, tertia, rarius occurrens, multis cum doloribus est juncta. Anctor his tribus speciebus nomina a c u t i, c h r o n i c i et d o l o r o s i ulceris imponit. Decursus istorum ulcerum in tres periodos distingui potest, quorum in primo suppuratio ad fauces duntaxat pertinet, in secundo ad laryngem usque porrigitur, in tertio denique, nisi prius jam morbus vitae finem attulerit, trachea et pulmones in passionis consensum trahuntur.

Hae morbi conditiones, postquam per temporis spatium perseverarunt et quoad molestias locales cito increverunt, jam, modo serius, modo ocius, causa-

rum praegressarum et febris in totum corpus vi pestifera, colliquatio apparet. Tum vero plurimis utique in casibus ad extrema ventum est, vitaque misera et aerumnosa cum morte commutatur. Hic status ultimum ad ducit stadium,

III.) stadium colliquativum. Febris geminatur (53), cumque ea conjunguntur diarrhoeae faeculentae, sudores profusi viresque summopere exhaurientes (54), aphthae in ore (55), simul etiam defluvium capillorum, gryphosis, extremitatum tumores oedematosi, decubitus, pressio et sensus dolentes sub sterno (cum vel extravasatis seu fluidi in pectoris cavum effusio contigerit (56), vel si pulmones imperfectu in- et exspiratione rite expandi nequeant), summa in faucibus et in larynge siccitas, ac plurimis omnino in casibus totalis vocis defectus. Sive tali igitur morbi exitu aegroti communiter fato perfunguntur, sive continuo musculorum laryngis stimulo, horum irritabilitas tali modo augetur et ejusmodi spasmus in collo efficitur, ut plerumque ne ex

53) Haasii Specielle Therapie, IV. Band, pag. 127.

54) Delpitii Dictionaire des sciences medicales, tom. XXVII, pag. 267, ubi haec verba leguntur: „Enfin la „diarrhée, les sueurs colliquatives, l'enflure oedémateuse „des extremités".

55) Richteri Specielle Therapie, IV. Band, pag. 739.

56) Rheinische Jahrbücher für Medicin und Chirurgie, II. Band, pag. 68.



dimidia quidem parte fiat inspiratio, quantumcunque thorax transitum aëris promovere annitatur, corpusque ita conficitur, nervorum vis ita labefactatur, ut patientes saepissime status colliquativi terminum non attingant, sed vel apoplexia nervosa, vel angina suffocentur, vel, ut Sachsii imagine utar, „lucernae instar exstinguantur", si vis nervorum in trachea fracta est et sic eorum cum respirationis musculis consensus tollitur. Quodsi e contrario patiens ad convalescentiam revertitur, sensim sensimque sane conditiones febriles et colliquativae evanescunt, tussis, expectoratio ac molestiae morbosae in larynge cum irritatione inflammatoria decrescunt, vox rursus fit clarior, longius tamen praeterlabitur temporis spatium, antequam prior vis ei restituatur, aegreque omnino justam suam claritudinem recipit. —

Haec ergo immago est morbi, qui quidem haud raro observatur, sed in rerum natura non tam stricte quam hic in charta, secundum certa stadia dispesci potest; unum potius stadium ex improviso in alterum transit, itemque symptomata quaedam hoc vel illo casu constanter adsunt, in aliis vero vix animadvertuntur. Sic. e, g. morbi casus quidam narratur (57), ubi licet larynge magnopere confecto, diebus nonnullis ante mortem demum dolores in larynge persentie-

57) Hornii Archiv, Jahrgang 1815, pag. 541 — 546.

bantur, ubi porro in raucitate per octo annos perseverante, et quamquam initio anni ante obitum ultimi, magnum adfuerat suffocationis periculum, tussis et expectoratio, cum reliqua passione comparatae, minori gradu erant conspicuae.

Ponamus igitur, diversis in casibus unum alterumve symptoma aut deficere aut accedere, quo morbus quoad singula quidem symptomata sed minime profecto quoad universalem ejus diagnosin phthisin indicantem immutabitur, cum utique secundum complicationem suam cum aliis morbis, secundum causas, corporis constitutionem, aetatem ac singularem cujusque habitum sit definiendus, (haec enim potissimum cuique mutationi subesse sunt existimanda), in quovis tamen casu haec modificatio, quatenus ad ipsam morbi naturam pertineat, sive minus, medici scientiae ac judicio relinquetur. Imago illa morbi, quam ego adumbrare studui, formam ejus plurimis in casibus occurrentem, sine complicationibus sistit; desumta est ex morbi historiis, quas mox expositurus sum, ut et ex iis, quae Sachsius, Thomannus aliique auctores jam citati circa diagnosin protulerunt. Attamen etiam cum similibus affectionibus pharyngis et columnae vertebralis, cum phthisi tracheali ac pulmonali consociatus apparet, qua re, uti consentaneum est, diagnosis quidem turbatur, sed quum haud desint symptomata praecipue ac primaria, cognoscendo morbo nostro inservientia, nequaquam tollitur.



Quatenus vero ea, de qua loquimur, morbi forma praecipue cum affectionibus ipsius pharyngis et partium, inter pharyngem ac laryngem sitarum, cum inflammationibus chronicis membranarum mucosarum laryngis, cum struma, denique cum phthisi tracheali confundi et permutari posset, signa sequentia enumerando, quomodo distinguantur, ostendam.

1) Quod ad affectiones ipsius pharyngis partiumque inter pharyngem et laryngem sitarum attinet, sive positae sint in conditionibus chronico-inflammatoriis, sive in excrescentiis polyposis vel steatomatosis, sive in indurationibus, quin in ipsis suppurationis processibus, jam mox morbo incipiente majores in deglutiendo molestiae, dolores versus posteriorem magis partem post cibum devoratum locum habentes, sensus siccitatis in pharynge, vomitio fluidi puriformis, postquam per oesophagum in ventriculum intraverit, aut prius jam ob stimulum in pharynge, vel conatu quodam molesto, vel vomitu evacuatum fuerit, lingua ex toto muco obtecta, loquela plurimis in casibus satis distincta et expressa, quae continuam raucitatem, neque vocis defectum pedissequam habeat, tumor laryngis vix sub sensum cadens, qui potius lateris regionem occupat et manifesto inter laryngem ac pharyngem sentiri potest, haec omnia, inquam, indicia sufficiunt ad affectiones istas a nostra morbi forma distinguendas.

2) Quod porro formationem strumae et inflam-

mationem chronicam membranarum mucosarum laryngis spectat, ex mea sententia, prior, statu omnino jam exculto, vix cum phthisi laryngea tuberculosa confundi poterit, sane vero interdum durante ipsa formatione, permutata est, cum raucitas diutius permanens, tussis, fluidi mucosi expectoratio, sensus dolentes ac pungentes, pressione in laryngis regione facta, ejus esse comites perhibeantur; sed partim hi fugaces et per consensum orti fuerint, partim dolorum ipsorum sedes magis in circumjacentibus laryngi locis, praecipue in glandula thyreoidea esse potuerit, tum vero inprimis tumor citius se excolens, qui in nulla cum phthisi, sensim se evolventi, est ratione, et magnitudo ejus enormis optimum praebent discrimen. Quatenus porro inflammationum chronicarum membranae pituitosae solius laryngis ejusdemque phthiseos permutatio locum habuit, sequentibus, me judice, symptomatibus dignoscuntur: leves, saepe forsan nulli dolores in larynge, vox rauca quidem, sed quae facile transeat, neque diu plerumque perseveret, neque in ulteriori decursu tam languida appareat, quam in phthisi, tussis fortis, humide sonans, cum expectoratione copiosa, mucosa, inprimis matutino tempore, respiratio gravis magis et oppressa, lingua albida materia multum obtecta ac motus febriles vespereetc. etc. Quodsi utique haec symptomata longius perseverantia ulterius semper progrediuntur, communiter primum phthiseos stadium sistunt.



3) Ut postremo permutationem morbi nostri cum phthisi tracheali attingam, (qui morbi ambo secundum observationes Sachsii (58) quidem, et si auctoritatem libri, qui inscribitur: „Dictionnaire des sciences medicales“ — sequaris (59), raro admodum consociati occurrere dicuntur quam tamen opinionem experientia refellit, imo contrarium saepius probavit), harum notarum distinctivarum expositio in usum theoriae eo majoris est momenti, quo plures adsunt, ne passio, symptomatibus suis tam manifesto ab altera discernenda, cum hac temere confundatur. Quare etiam illa, peculiari attentione digna ea existimans, ultimo loco hic afferenda putavi. Conditionibus igitur phlogisticis faucium, palati, et exulcerationibus singularum in his glandularum, quae hic nunquam reperiuntur, haud in censum vocatis, sequentia adhuc nobis memoranda restant: vocis raucitas in suppurationis stadio nunquam obvia, vox potius acuti soni jacturam fecisse videtur et a s p e r a est, ut in

---

58) Pag. 25.

59) Ibi tomo XLII. pag. 171 haec leguntur: „Car „elles n'existent presque jamais reunies chez le même individu“, — et pag. 180: „Les ulcères du Larynx dans „la Phthisie laryngée se prolongent quelque fois jusqu'au „commencement de la trachée artère; mais on ne connoit encore aucun exemple de phthisie tracheale ou de „phthisie laryngée existant en même temps et separément „l'une de l'autre“.

vini potatoribus (60), dolor magis est obtusus, passim remittit et perspicue magis in inferiori tracheae parte sentitur, plerumque vero in bifurcationis regione, quia hic ulceris sedes est (61), nunquam sursum ascendit, sed semper in bronchia descendit, ibi sensum prementem, dolentem excitans, tussi praecedit exscreatio, ipsa tussis continua est, ita ut in morbi decursu aegrotum omni noctis quiete privet, e profundo veniens ac temperata, cum strepitu crepitante (62), ut, ni fallor, in bronchitide, nec unquam stridula. In ciborum deglutitione tum demum excitatur, si pharyngem jam transierint, quo facto locum affectum praeterlabantur necesse est; tum vero efficit quoque, ut cibi ejiciantur vel evomantur. Si aliquid extussitur, jam cessant insultus, et ad hoc producendum requiritur, ut pectus in altum tollatur. In quocunque casu augetur, si patiens ad lectum se confert. Expectoratio, salivam magis referens, filiformis est, quandoque striis puris, nec pellucidis, in aqua subsidentibus commixta (63), et hebdomades aliquot ante mortem demum mere fit purulenta multoque aquoso

60) Sachsius, pag. 205.

61) Delpitii Dictionnaire des sciences medicales. Tom. XXVII. pag. 178. ubi haec dicta sunt: „Ordinairement à sa partie posterieure, et á peu de distance de sa bifurcation".

62) Sachsius, pag. 222.

63) Sachsius, pag. 226.



latice est temperata, ubi ceu faeces cerevisiae subsidit (64). Respiratio omnino et hic continuo molesta est, temporibus vero indefinitis horrendis suffocationis insultibus impeditur, ita ut patientes sedentes tantum, vel sine motu stantes respirare possint, fere ut in angina pectoris. Hi insultus subitanei sunt et vel per aliquot horas morantur, in ulteriori vero decursu non pro ratione morbi augentur, imo versus finem passionis passim evanescunt. Nunquam respiratio ceu spasmi in modum abrupta vel stridens apparet, sed semper asperum crepitantemque sonum refert (65). Febris post plurium demum annorum molestias aegrotum aggreditur statimque indicia colliquationis prae se fert. Decursus multo magis est chronicus. Quae quidem symptomata sufficiant, ut doceatur, ambas morbi formas signis sane characteristicis a se invicem posse distingui, qua de re plures medici Françogallici dubitasse videntur, e. g. Doubelius, Delpitius etc. Posterior in libro saepius jam a me citato (Dictionnaire des sciences medicales) Tom. XLII pag. 171 haec tantum habet: „Elle doit surtout „être distinguée de la phthisie laryngée, avec laquel„le on l'a confondue jusqu'à présent: ces deux mala„dies se diffèrent non seulement par leur siège, mais „encore par leurs symptomes, et peut-être aussi par

64) Sachsius, pag. 227.

65) Sachsius, pag. 230.

„leurs causes", — tomo vero XXVII pag. 268 affirmat: „La difference est encore aujourd' hui difficile à etablir", — quin imo tomo postremo allegato pag. 269 ait; „Les signes, qui distinguent la phthisie la„ryngée des tracheales, sont equivoques et obscurs. „Les principes, sur lesquels se fondent les indications „curatives, sont les mêmes". — Tabellari forma Sachsius, quomodo ambae accurate a se invicem dignosci possint, in libro suo diagnostico a me jam laudato exposuit, ad quem lectores relegamus.

---

## *Morbi historiae.*

### I.

Liso, puella decem annos nata, constitutione debili, scrophulosa, cachectica, secundum ejus narrationem, festo Paschatos anno 1825, post forte frigus corpore exceptum, pectoris doloribus, imprimis vero vehementibus doloribus in regione laryngis, tussi valida, rauca, continua; cum expectoratione copiosa conjuncta, violenta denique febre, vespertino tempore exacerbata, correpta fuit. Peractis 14 diebus omnes affectiones quoad robur et vehementiam decrevisse videbantur, tussi tantum sicca, levi in deglutiendo impedimento, et passim redeuntibus, sensibus dolentibus, pungentibus, titillantibus in



larynge relictis. Jam aegrota se plenam sanitatem recuperavisse autumavit; sed mense Majo, ejus conditio in pejus abire coepit: apparebat videlicet raucitas ac tenuis expectoratio massae foetentis, puriformis, fragmenta globosa exhibentis. Haec phaenomena consociata erant cum foetore purulento ex ore, respiratione stridente et abrupta, tussi, fistulae sonum immitante, rauca, ei, quae anginam membranaceam indicare solet, simili, quae praesertim mane vehemens erat, porro cum dolore circumscripto, fixo, pungente in regione laryngis et sensibus dolentibus in variis thoracis locis, tumore externo laryngis, insigni molestia in deglutiendo, et in latice quocunque sorbendo cum magna perperam glutiendi proclivitate. Rebus sic comparatis, die VI. Augusti ejusdem anni in nosodochium hujus Universitatis literariae recepta est, ubi jam et sequentia symptomata prodibant: facies pallida, subflava, macie confecta, lingua materia subluteo-alba obducta, rubor palati ac faucium, cutis humida, pulsus parvus, frequens, subdurus, febris geminata hectica cum sudoribus vehementibus, vires frangentibus, tempore matutino intrantibus, totalis debilitatio et magna corporis macies. Inde a die VI. Augusti ad IX. usque Septembris anni commemorati, adhibitis pluribus remediis, mutationes in statu aegrotae insignes animadverti poterant. Remedia illa adhibita constiterant e Sale ammoniaco depurato, e Calomel, Sulphure au-

rat. antimon., e Vesicatorio et serius e Setaceo in loco affecto, porro e vaporibus mollientibus florum Chamomill., Acet. vini et aquae fervidae, ex Infuso cort. Chinae cum Acid. phosph. dilut., extracto Chinae aquos., extracto Trifol. fibrini. Quae vero in patiente observabantur conditiones mutatae, sequentes erant: vox minus rauca, clarior, acutior, magisque sonora apparebat, impedimenta in deglutiendo fere omnia evanuerant, dolor in larynge levis duntaxat, magis sensum obtusum, prementem aemulabatur, tussis et expectorationis non nisi tennes aderant reliquiae, foetor purulentus ex ore nullus jam sentiebatur, respiratio liberior facta est ac strepentior, pulsus lentior, plenior; sudores matutini jam modum tenebant, facies albidiorem ac blandiorem prae se ferebat speciem. Ad usque diem XVII. Septembris febris, in fine periodi prius memoratae leniter tantum sudoribus matutinis, continuans, post continuatum cum Chinae cum Acid. phosphor. dilut. usum omnino evanuerat, nunc vero inhalationes vaporum picis liquidae et salis ammoniac. depurati propinatio auctis dosibus ad diem XX. Octobris usque adhiberi pergebantur, ita ut aegrota postremo quater quotidie ʒj Salis ammoniaci sumeret, quo facto durante hac periodo, haec in patientis valetudine mutabantur: vox propemodum ad perfectam claritatem redierat, respiratio sine omni impedimento procedebat, tussis et expectoratio nullae jam erant, ut paucis omnia comprehendam, aegrota nullo amplius affectionis cujusdam localis sensu excruciabatur. Die XXI. post adhibitos picis liquidae vapores momentaneus suffocationis insultus quidem conspiciebatur, qui tamen, quamvis periculum minaretur, horis aliquot elapsis feliciter transiit, irritationes quasdam locales solummodo relinquens, contra quas Emulsio semin. papaveris albi cum Extracto hyoscyami praescripta est. Horum remediorum usus per aliquot dies adhuc continuabatur, tum vero puella cum euphoria dimissa. Postea saepius visa optime se habere professa est. Vox vel clarior apparebat, quam cum e clinico esset dimissa, nec unquam de tussi querebatur; levis tantum proclivitas ad symptomata pectoris catarrhalia supererat.



II.

Anna, mulier Esthona 37 annorum, inde a vigesimo viro nupta, constitutione nervosa, die XIV. Aprilis anni 1834. in sectionem medicam clinici nostri recepta est. Septem ante hebdomadibus infantem ab uberibus removerat, et non ita diu post catarrhus eam invaserat cum symptomatibus huic propriis, tussi et expectoratione, quae interdum sanguine commixta fuerat. Simul dolores in larynge ac trachea, et, tussi

impetu vehementius eam petente, itidem in pectore senserat. Febrem comitantem non adeo molestam perceperat. Quae affectiones aliquamdiu perduraverant, dein expectoratio cessare coeperat et tussicula sicca facta erat. Dolores in larynge ac trachea majori quam unquam vehementia jam eam vexabant. Sensim magna faucium siccitas, deglutionis difficultas et expectoratio pituitosa, puriformis, in universum vero haud magna quantitate praesto fuerant. Raucitas semper increscens ex eo inde tempore aegrotam non deseruerat; puris odor ex ore perspicue animadverti poterat, nec non periodici febris insultus apparuerant, in primis vesperem versus et noctu, qui, nocte ad finem vergente, inter sudores copiosos et insignem languorem afferentes, passim remittebant. Hoc in statu clinicum nostrum adiit. Raucitas ejus modum fere excedebat, vix, ac ne vix quidem, quod loqueretur, intelligi poterat, lingua materia subflavo-alba obtecta, palatum ac fauces rubescentia conspiciebantur, inspiratio sibilans erat, stridula et tanquam abrupta, pressione tentata, in larynge et superiori tracheae parte dolor manifestus, item sensus premens, dolorosus sub sterno percipiebatur, tussis erat rauca, latrans et modica ejectione stipata, pulsus mollis et valde acceleratus (140 propemodum ictus conficiebat), cutis humida, febris hectica valde exculta, sudores insigniter copiosi. Praeterea mag-



nam eamque universalem debilitatem querebatur. Se et excretiones satis normaliter procedebant.

A die XIV. usque ad XXX. haec in ejus conditione mutabantur, postquam Calomel, Sulphur aurat., Digit. purpur., Acid. phosphor. dilut., China et Vesicatoria, loco affecto applicata, adhibita fuerant: vocis raucitas parum remiserat, difficultates in deglutiendo et inspirando minores erant, tussis, quoad vim et vehementiam, decreverat, expectoratio magis pituitosa tantum et minori quam antea copia apparebat, puris odor ex ore, dolores in larynge, in trachea et pectore, ut et febris hectica, sensim disparuerant, pulsus frequentia et debilitas universalis imminutae erant. Diebus VIII elapsis, cum reditus ad salutem, nominatim quoad affectiones locales, adjuvari haud videretur, ad applicationem setacei in larynge progressum est, imperataque ei sunt catapotia e mixtione Sulph. aurat. antimon., Digital. purpureae et Extracto cicutae confecta, quibus porrectis, affectiones locales aliquatenus in melius mutatae videbantur. Ceterum de statu valetudinis ejus ulteriori lectores certiores facere non possum, cum paullo post, ut ei petenti satisfaceretur, e nosocomio dimissa fuerit.

III.

Liso, puella XV annorum, constitutione physica, scrophulosa, quae saepius pravae coeli tempe-

riei exposita fuerat atque eo catarrhum faucium ac laryngis sibi contraxerat, qui, cum debilitas membranae pituitariae horum organorum ei esset propria, cum continua momenta noxia in eam agerent, et, quae in tali conditione observanda sunt, negligerentur, jam inveteraverat, tandemque in catarrhum his in regionibus endemicum cum ulceribus faucium, syphilidi similibus, transierat, — haec puella, inquam, illo morbo affecta, initio mensis Julii anni 1824 in sectionem medicam nosocomii Academici recepta, et adhibito decocto Lign. nec non curatione ope Lactis in fini mensis Septembris ejusdem anni penitus sanata dimissa est. Primis mensis Januarii diebus anni 1825, posteaquam iisdem momentis noxiis denuo exposita fuerat, cum ulceribus faucium auctis et phthisi laryngea tuberculosa penitus expressa, ad institutum nostrum clinicum revertebatur. Symptomata hoc confirmantia haec erant: raucitas pertinax cum voce submissa, debili, sibilante, expectoratio fluidi puriformis, pituita commixti, copiosi, puris odor ex ore, locus circumscriptus dolens in dextro latere cartilaginis cricoideae, tumor satis conspicuus laryngis, tussis vexans, rauca, ei, qua angina membranacea oppressi laborant, similis, respiratio impedita, stridens, difficilis deglutitio, mucus pharyngis siccitas, qui simul insigniter rubescebat, febris hectica cum acerbationibus vespertinis et sudoribus, vires exhaurientibus. In fine mensis Febru-



arii ejusdem anni omnes affectiones morbosae, si vocem exceperis, quae ad pristinam puritatem ac claritatem reduci non poterat, usu Digitalis purpureae, Sulphuris aurat. antimon., Extracti hyoscyami, Chinae, Acid. phosphor. dilut., et adhibitis in loco affecto fortibus per Vesicatoria derivationibus, evanuerant, et, si a voce discesseris, cen sanata dimissa est. Attamen initio mensis Augusti ejusdem anni cum eadem passione, quae tantum ob constitutionem ita debilitatam, et cum adeo frequenter momenta noxia in eam egerint, ulterius quam antea progressa erat, in clinicum nostrum revertebatur. Conditio ejus jam non solum imaginem phthiseos laryngeae perfecte excultae exhibebat, sed et phthiseos trachealis praesentiam inde colligere haud erat alienum. Nam dolor pressione in trachea infra laryngem facta, auctus, respiratio gravis, postea sibilans, fluidi subflavo-viridis, striis sanguineis mixti, expectoratio, quae quandoque e profundo oriri videbatur, insultus suffocationis momentanei huic conjecturae respondebant. Quod ad phthisin laryngeam attinet, praesertim deglutitio difficilis (quatenus semper, quoties alimenta deglutienda erant, perperam deglutiebantur, eoque tussis vehementer excitabatur), sputa magnopere mutata et copiosiora, febrisque hectica duplicata fidem faciebant, morbum ulterius, quam antea progressum esse. Adhibitis omnibus remediis supra commemoratis et,

applicato laryngi Setaceo, tamen morbus, mense Augusto vix exacto, exitum habuit lethalem.

*Sectio cadaveris.*

Parietes laryngis ut et tracheae materia mucosa, puriformi obtecti, cutis interna laryngis tuberculosum et ulcerum sanatorum plena erat ac singulae glandulae pituitariae, quae in suppurationem abierant, erosionum speciem prae se ferebant. Id praecipue in pariete posterieri musculoso animadverti poterat. Epiglottis, excepta parva, leviter rubente, induratione, quae reliqua remanserat, tota erat destructa, sed cicatrice obducta, et parum tantummodo versus regionem posteriorem occludebat partem, ubi aditus in laryngem est. Sacculi laryngis ac ligamenta rimae glottidis plane confecta erant, nunc vero non amplius ulcerosa, sed parvae, crassae, suborbiculares eminentiae solummodo observabantur. In latere dextro posteriori cartilaginis cricoideae ulcus conspiciebatur, quod in larynge pateret, cujusque fundus cartilaginem contingeret. Recta sub larynge erosio plurium membranarum mucosarum suppurantium, trium circiter pollicum longitudine, in tracheam usque porrigebatur, quae subtilissimis suis ramificationibus inflammata erat. Pulmones cum pleura ac diaphragmate firmiter coaluerant, minusque exculti et exigui erant. In pulmonis parenchymate nec



tictus, nec induratio apparebat. Cor statu erat normali, pericardium cum diaphragmate coaluerat, ventris intestina omnia probae erant conditionis.

IV.

Adamus, puer rusticus, 13 annos natus, constitutione corporis phthisica ac scrophulosa, initio mensis Decembris anni 1825 tussi rauca, vehementi, secundum patentum narrationem, cum expectoratione, fragmentorum et membranarum plena, conjuncta raucitate, vehementibus in larynge doloribus, tumore glandularum colli praecipue in sinistra parte glandulae submaxillaris et parotidis, febreque corripiebatur. Tali in conditione puer, continuo momentis noxiis expositus, propemodum per tres hebdomades vivebat, naturae penitus commissus, sine medicorum auxilio et recta cura. Prout consentaneum est, malum igitur ulterius processit et vitae ejus, si phlogistica magis indole fuisset, diebus aliquot finis esset impositus, nisi hic decursus magis chronicus passionem effecisset, quae, omnibus symptomatibus rite consideratis, phthisis laryngea erat existimanda, et ita tribus hebdomadibus elapsis, exitum lethalem adduxit. Notandum adhuc est, tunc temporis maxime in regione, ubi aegrotus degebat, febrem scarlatinam epidemice invaluisse, eumque una cum parentium filium inter alios infantes in casa tum

tica a scarlatina remansisse immunem, hujus loco vero affectionibus colli ac laryngis modo memoratis obnoxium fuisse, quae in universum saepius cum scarlatina alternare videbantur. Porro multo minor laryngis affectio in iis aegrotis animadvertebatur, quibus scarlatina jam prorumpebat, quam in casu contrario, ita ut jam satis certo ex hoc symptomate colligi potuerit, num scarlatina omnino eruptura esset, nec ne. Hoc igitur tempore, tribus jam ab initio phthiseos laryngeae praeterlapsis hebdomadibus, aegrotus in conspectum mihi venit, statumque ejus talem reperi: Parotis sinistra penitus in suppurationem abierat cavumque formabat magnum, ichore repletum, glandula submaxillaris nonnullaeque aliae in collo rupturam jam minabantur; manifesta fluctuatio in eis percipi poterat. Vox per diem rauca, debilis, mane, uti narrabant circumstantes, vix exaudienda erat; tussis erat vexans, rauca, latrans, cum expectoratione foetente, saniosa, luteo-subviridi conjuncta, quae, quotiescunque tussis fortem faciebat impetum, incredibili copia ejiceretur, atque aërem aegrotum cingentem adeo inficeret, ut vel nolentes se avertere cogerentur; tussis in cibo qualicunque deglutiendo vehementius ciebatur, cibusque partim e naso et ore projiciebatur; respiratio stridens erat, rhoncho notabilis, et quasi abrupta videbatur, larynx insigniter intumuerat et versus partem sinistram in regione cartilaginis thyreoideae cum dolore



admodum mobilis, ita ut stridor manifestus auribus percipi posset; cavum faucium siccum erat, multisque locis membranae pituitariae in suppurationem transiisse videbantur; lingua materia alba obducta erat et in radice insigniter tumida apparebat. Porro obvia erant: sensus dolens sub sterno, summa enervatio ac macies, tanquam si figura ossea conspiceretur, decubitus in ambobus femoribus in regione genu, febris gemina hectica cum sudoribus nocturnis ac matutinis summopere colliquativis. Postremo et fistulam, quae inde a parotide suppurante ad laryngem usque porrigebatur, observare mihi visus sum, sed deficiente bono specillo brevi duntaxat acu ad regionem laryngis pertingere potui. Ut vero hoc statuerem, inducebar expectoratione mirum in modum copiosa, aurae meatu, quem inspirando et exspirando animadvertere existimabam et puris in parotide eruptione, quoties tussis vehementior esset. Parotidem suppurantem *pulvere Carbonum*, decubitum *decocto Quercus* deligavi, et in usum internum grj *Plumb. acet.* ac grß *Opii puri* praescripsi. Quo facto discessi, eo quidem consilio, ut proximo mane redirem, verumtamen prius jam de morte pueri certior sum factus. Precibus etiam parentes adii, ut sectionem mihi permitterent, sed superstitiosis opinionibus imbuti, hanc mihi non concesserunt.

---

## *Epicrisis nonnullorum symptomatum.*

Cum igitur in phthisi laryngea tuberculosa raucitas, et in ulteriori morbi decursu vocis omnino defectus tanquam symptomata semper obvia, in phthisi tracheali contra vocis asperitas semper observetur, jam reliquum est, ut ostendam et demonstrem, quatenus ambae istae morbosae affectiones per se singulae in hisce passionibus laborantibus nunquam non inveniantur. Respicientibus vero totius arteriae asperae conformationem et diversam ejus, nervorum distributionis ope, receptivitatem, et hic credo explicatio sufficiens inventu non erit difficilis. Ut sonus altus seu acutus producatur, secundum praecepta physiologica opus est, ut larynx simul cum trachea valide sursum tollatur. Cum autem in tracheae affectione, ubi non solum organa glandulosa ejusque membrana pituitaria, sed etiam, in passione graviori, fibrae musculares longitudinales, quae subjacent, suppuratione sunt arrosa, larynx in altum attolli tantum non possit, quantum requiritur, sed potius irritatione morbosa in fibris muscularibus modo dictis, cum simul morbosa contractio augetur, vel magis deorsum detrahatur, proxime hinc consequitur, ut trachea brevior fiat, et ambae cartilagines arytenoideae a se invicem removeantur, eoque vox gravis, aspera efficiatur. Huc accedit, quod trachea multo minorem ostendit irritabilitatem ob pauciores, quos





accipit nervos, quam larynx, et quod in passione non mixta rami recurrentes nervi vagi solummodo correpti esse possunt. Horum vero, observante Monro (66), partim pressionem asperitas duntaxat vocis et incisionem ipsam nunquam vocis defectus sequebatur, partim, observante Magendie (67), in musculos distribuuntur eos, qui ad dilatandam rimam glottidis conferant, contra autem rami laryngei superiores nervi vagi in eos, qui rimam glottidis contrahant. Ergo dilatatio et relaxatio contractione praevalent et vox gravis fit et aspera. Quodsi contra affectionem laryngis respicimus, vocis mutationes hic multo graviores ac notabiliores reperiantur necesse est, cum primo affectio ipsum vocis apparatum corripuerit, secundo vero ob majores nervorum ramificationes eorumque graviorem correptionem major ad stimulos, magna copia obvios, excipiendos locum habeat. Experientia quoque sufficienter demonstrat, quoties non solum rami laryngei superiores nervi vagi, sed etiam rami laryngei nervi sympathici, qui utrique proxime ad vocis modulationem conferunt, afficiuntur, toties statim etiam, prout affectio organa laryngis leviter tantum vel graviter corripuerit, raucitatem, mox vero enormem debilitatem, imo defec-

66) Ueber Structur und Verrichtungen des Nervensystems, Leipzig 1787, pag 87.

67) Grundriſs der Physiologie, 1. Theil, pag. 208.

tum vocis conciliari. Sic etiam in dilatatione ac contractione rimae glottidis status ei contrarius, qui in phthisi tracheali obtinet, locum habeat oportet, i. e. contractio dilatatione praevalebit, idque sonum stridulum ac respirationem quasi abruptam efficit. Posse vero raucitatem adesse sine directa laryngis afſectione nemo sane in dubium vocabit. Ita e. g. apud Sachsium (68) casum quendam notatum invenimus, ubi sectio ulcus in regione bifurcationis, ergo phthisi tracheali praesente, demonstrabat, ubique homine vivente raucitas observata erat. Sed simul etiam inflammatio in membranis pituitariis tracheae reperiebatur, quae propemodum ad laryngem usque pertingebat. Quodsi hoc post mortem demonstratum est, inflammationem in vita vel ulterius propagatam fuisse commode statui potest, neque deest vocis mutationis ſufficiens explicatio. Praeterea, ubi ejusmodi raucitas, imo vocis defectus locum habuit, post mortem animadvertemus excrescentias, ut polypos, steatomata et cet. (69), huic defectui causas subfuisse, pressionem, sive in pulmonibus sive in trachea obvia essent, in nervum recurrentem seu vagum exercendo, et sic aut ipsius trunci affectione per consensum reliquas ramificationes simul affici, consentaneum erat, aut vice versa affectio e ramificationibus ad ipsum truncum

68) Pag. 251.

69) Portal, II. Band, pag. 69.



propagabatur. Scimus denique stimulis a vermibus proſectis (70), in tam variis ſeminarum molestiis hystericis et quam frequentissime eo tempore, quo catamenia fluunt, item in colica Pictaviensi (71) saepe vocis mutationem per sympathiam produci, neque tamen inde directam laryngis passionem concludi posse.

Dolor, quatenus in altera affectione magis pungens et urens, in altera magis obtusus magnisque remissionibus insignis est, unice majori vel minori aegroti organi sensibilitate adducitur. Deglutitionis impedimenta atque in ulteriori decursu saepe obveniens prava deglutitio ipsa, quae semper utique in phthisi laryngea observantur, pari passu cum affectione epiglottidis incedunt; quanto magis haec destructa est, tanto majores illae sunt molestiae. His haec subest ratio: Ponamus, sententiam illam physiologicam, qua adstruitur, epiglottidem pontem quasi versatilem formare, ut cibus ac potus super laryngem in gulam transeat, falſam esse (quae revera a Magendie (72) oppugnata, a Meyero (73) hac observatione confirmata est: „Die Epiglot-

70) Sachsius, pag. 208.

71) Sachsius, pag. 207.

72) Grundriſs der Physiologie, II. Theil, pag. 59.

73) Salzburgische medicinisch-chirurgische Zeitung, Jahrgang 1824, III. Band, pag. 183 et 184.

„es legt sich beim Schlucken nicht nur ganz über „den heraufsteigenden Larynx herüber, sondern zieht „sich an den Seiten so stark zusammen, daſs die „Ränder desselben eine neue Aushöhlung bilden, „um sich der nun zugespitzten Form des Larynx an„zupassen.“), in affectione musculorum laryngis tamen rima glottidis contrahitur, vel ubi epiglottis patitur, contractio et occlusio laryngis ob tumorem aut substantiae jacturam, imperfecta duntaxat erit, eamque ob causam prava deglutitio frequenter apparebit, qua re, uti in parte dissertationis diagnostica ostensum est, casibus periculosis obviis ipse cibus per os ac nasum rursus ejicitur.

Quoad s t e r n u t a t i o n e m, quam Sachsius tanquam symptoma quoddam principale in medium affert, ac tum demum apparere perhibet, cum molestiae catarrhales prorsus disparuerint, haec statui oportere credo: cum in toto morbi decursu affectiones inflammatoriae plerumque plus vel minus perseverent, — iis in casibus, quibus illa apparebat, affectiones inflammatoriae, quamvis magis deorsum in tracheam propagari possent, hic magis sursum ferebantur et membranam pituitariam nasi corripiebant, talique modo, ceu symptoma ad nasi catarrhum pertinens, sternutationem excitabant. Hinc qua consensualis affectio tantummodo, et quoad phthisin laryngeam tanquam a c c i d e n t a l i s consideranda est, quatenus phthisis non unicum malum aderat. Verum enimvero



sternutatio etiam secundum Sachsii (74) sententiam nisus naturae existimari potest, quo aliquando perfectam pectoris expansionem et ita liberam circulationem efficere, impedimentumque in rima glottidis obvium superare contendit, quoniam in sternutatione inspiratio plena ac profunda obtinet, quam exspiratio fortis et vehemens subsequitur, hic non adeo magna vi, quam in statu sano, conspicua ideoque saepius altera post alteram repetita.

Quod denique o b d u c t i o n e m d i m i d i a e l i n g u a e p a r t i s e t m u t a t i o n e s i n e j u s r a d i c e attinet, cum Sachsio censeo, non absolute necessarium esse, ut prior semper affectionis tractus intestinorum sit sequela, sed frequenter utique tanquam passio ratione consensuali cum larynge juncta consideranda est, praesertim cum amborum organorum obductio similis sit, et tanta necessitudine consocientur. Nonne statui posset, quum communiter ea linguae pars quoque afficiatur, ubi larynx morbo correptus est, membranis pituitariis laryngis jam in suppuratione versantibus atque hac jam latius vagante, hic in lingua indurationes glandularum pituitariarum cum aucta subluteo-albida secretione formari, indeque obductionem in dimidia linguae parte originem ducere? Mutationes in ejus radice unice aucta eo humorum congestione eorundemque stagnatione

---

74) Sachsius, pag. 233.

perficiuntur; inprimis vero inde major ampliorque prominentia papillarum vallatarum prodit.

Quamvis in universum phthisis laryngea frequenter sit observata et, quantum plurimis in casibus vitae periculum minetur, neminem fugiat, restat tamen ut dijudicemus, quinam sexus, quae vitae aetas qualisque corporis constitutio potissimum ad hunc morbum sit proclivis. Ex Sachsii sententia (75) universim hominem quemcunque adoritur, marem et feminam, juvenem et senem, vigore corporis integrum et sanitatis speciem falso prae se ferentem, languescentem et cachecticum. Attamen eodem auctore affirmante (76) inprimis mediam aetatem raroque tantum infantilem, secundum observationes I. Frankii (77) vero sexum duntaxat masculinum corripere solet. Contra posteriorem opinionem haud immerito pugnam observationes Sachsii ac P. Frankii, nec minus morbi historiae hoc loco literis mandatae. Prior ipse in opere suo citato tres narrat morbi historias, ubi aegrotantes feminini fuerunt sexus (78). Quoad autem aetatem infantilem Sachsii praesumtioni, eam raro hoc morbo affici, vix

75) Pag. 26.

76) Pag. 26.

77) Acta instituti clinici Vienensis, An. II., Cap. XI.

78) Pag. 40, 67 et 128.



calculus erit adjiciendus. Rationes enim, quas affert, infantes videlicet, cum ob magnam ad exsudationes lymphaticas propensionem, tum ob non minorem ad convulsiones proclivitatem, quibus mors prius adducatur, quam ulcus quoddam excoli possit, hoc morbo neque affici neque exstingui posse, ei rei probandae non semper sufficient, et experientia saepe contrarium docuit. Quid? quod, contenderim potius, ipsam hanc organismi infantilis conditionem, qua ad exsudationes lymphaticas pronus est, insignem huic morbo opportunitatem praebere, quoniam his maxime annis inter corporis incrementa et usque ad plenam pubertatem systema reproductivum majorem in agendo vim exserit, quam serius, materiaeque secernuntur, adorgana sensim sensimque excolenda, necessariae. Quae materiae vasis exhalantibus parantur et ejiciuntur, atque praecipue in omnibus membranis pituitariis valentiores majorisque apparent momenti (79). Quodsi organon qualecunque, ut hic e. g. larynx, qui hac in vitae periodo profecto in majori se excolendi nisu et actione versatur (quod quidem mutata ejus forma et, quae adest, vocis commutatio luculenter demonstrant), stimulis phlogisticis corripitur, vel si in universum infantes dyscrasiae affectionibus, v. c scrophulis, lepra etc. etc., ubi

79) Hornii Archiv, Jahrgang 1812, II. Band, pag. 505.

proh dolor! saepissime contingit, laborantes continuo momentis pestiferis, epidemicis et endemicis, expositi sunt (ubi tam facile membrana pituitaria organi commemorati morbose adficitur, ac, semel debilitata, posthac semper fortasse male se habet), tum, illo organo in se excolendi negotio quasi semper occupato, materiae secernentes haud amplius vim plasticam recipiunt, ut forsan in angina membranacea, sed fiunt liquidiores, serosiores, purulentiores, erosiones et ulcera gignunt, atque adeo phthiseos imaginem in conspectum producunt. E contrario dyscrasiis locum non habentibus, ut in infantibus robustis et succi plenis communiter videre licet, per noxia momenta status inflammatorius sthenicus exoritur, cum eoque simul ad exsudationem lymphaticam propensio, quae, rebus ita comparatis, plerumque anginam membranaceam exprimit. Facili autem negotio inflammatio, sibi relicta, nisi mors prius jam advenerit, irritatione justum modum excedente vel longiori mora in suppurationem abire solet, ideoque phthisin efficit, eam forsitan, quae vomicae originem debet, quaeque decursum exhibet magis acutum, symptomatibus anginam membranaceam referentibus semper comitata, quod quidem experientia saepius confirmatum conspicimus. Huic sententiae favent observationes virorum illustrium P. Frankii (80) et

80) Interpretationes clinicae Tübingenses, 1812, pag. 54.



Lechevrelii (81). Proclivitatem igitur ad exsudationem lymphaticam et auctam ad convulsiones opportunitatem in causis esse, cur phthisis laryngea tuberculosa in infantibus raro occurrat, quam sententiam Sachsius tuetur, nec verisimile est, nec omnino statuendum.

Hujus, de qua sermo nobis est, morbi formae frequentia in veterum scriptis vestigia invenimus, v. c. in Hippocrate (82), in Galeno (83), Aëtio (84), Marcello Donato (85). Prior, postquam phthisin pulmonalem descripserat et disertis verbis dixerat: „Vox clara et sine dolore emittitur“ sic pergit: „Ali„us morbus. Si pulmonis fistula ulcere fervido et „superficiario laborarit, febris lenis detinet, medio „pectore dolor vexat et totius corporis pruritus, vox „raucescit, sputum liquidum ac tenue ex„spuit, interdum etiam crassum ac velut ptisanae „succum. In ejus ore gravis odor, qualis ex „piscibus crudis, suboritur, subindeque in sputo „dura quaedam, velut fungi frustula, ex „ulcere apparent.“ — Porro si observationes Cel.

81) Dictionaire des sciences medicales, Tom. XLII., pag. 297.

82) Opera omnia, edidit Foesius, recensuit Ernestius, a. 1596, pag. 473.

83) Methodus medendus, Cap. II. et III.

84) Medic. tetrab. II, serm. IV., cap. 46.

85) De medic. histor. mirabil. Lib. III, cap. I.

Lieutaudii in Historia annatomico-medica Tom. II. respicimus, symptomatologia quidem in observationibus No. 67. — 71 valde manca ac brevis est, interim ea, quae de sectionibus referuntur, omnia phthisin laryngeam tuberculosam indicant. Observatio 65 phthisin exulceratam et e vomica exortam simul exhibet. Haec enim sunt relationis verba. „Mulier „octogenaria spirandi et diglutiendi difficultate cum „faucium ardore laborabat. Sputa erant cruenta et „purulenta. Ingravescente demum spirandi difficul„tate interiit. In tracheae tergo infra laryngem „tumor excreverat ad magnitudinem avellanae, „putrida refertus materia.“ Denique in veterum recentiorumque auctorum scriptis de argumento a me tractato multas adhuc observationes reperimus, sed partim obscure tantum et incondite expressas, partim, ut jam dixi, breves admodum ideoque haud sufficientes, quas e libro Sachsii saepius jam laudato cognoscent lectores. Quum vero scripta illa perlustrare mihi non contigerit, ab eis nominatim afferendis consulto abstinui.

---

## *Causa proxima.*

Phthisis laryngea tuberculosa pendet e statu quodam inflammatorio glandularum pituitariarum ac



lymphaticarum, quibus pecnliaris in tuberculosa ubi atque materias corpori extrinsecus ad receptionem et assimilationem advectas peculiari quodam, destinctivo et abnormi processu in organo aegroto putris specie evacuandi proclivitas propria est, quare igitur conveniens ac necessaria materiae commutatio locum amplius habere non potest, item conspicua substantiae jactura et corporis macies efficitur. Huic organi affecti proprietati tanquam conditio partim subest consensualis nervorum affectio et huic adhaerens magna vasorum debilitas, partim eadem processibus noxiis inflammatoriis in circumferentia loci suppurantis, denique suppuratione semper procedente per massas emortuas progeneratas sustentatur, quae, ceu stimuli alieni, nocenter tantum et exitiose in corpus agere possunt.

---

## *Sectiones cadaverum.*

Hae ubique inflammationes, indurationes, suppurationes et destructiones organorum laryngis ostendunt. Inprimis vero morbosae istae conditiones pertinent ad cuticulam laryngem cingentem cum glandulis mucosis et lymphaticis in hoc obviis, porro ad epiglottidem et rimam glottidis cum musculis suis et ligamentis, denique ad cartilagines in larynge repe-

riendas, quae multis in casibus carie prorsus sunt destructae atque massas sistunt orbiculares, resolutas, spongiam referentes, quaeque vel liberae jam in loco suppurante natant, vel locis quibusdam adhuc sunt agglutinatae. Epiglottis, quae omnibus fere destructionis modis obnoxia est, modo ob conditiones phlogisticas in membranis pituitariis frequenter obvias et in sequentem horum organorum suppurationem singulis locis suppurata, in aliis vero enormiter conspissata et aucta est, modo etiam ob suppurationem nunquam cessantem prorsus non agnoscenda, noduli tantum magnitudinem aequans, vel etiam penitus confecta, ita quidem, ut ne vestigium ejus praesto sit. Rima glottidis, quae communiter post mortem formam suam crassam amittere solet, hanc vel post obitum ostendit, et quidem modo peculiari auctoque ambitu (86). Cartilagines arytenoideae cum musculis ac ligamentis vel leviter suppuratione sunt affectae, vel affectio altius penetrat, cariem adducit, resolutionem eoque perfectam cartilaginum excretionem, ita ut partim loca ulcerosa, partim peculiaria carnis frustula tantum conspici possint, nulla vero ad artem composita rimae glottidis forma. Quoad vero sacculos utrimque sitos, quodcunque latus praecipue affectum fuerit, vel unum vel alterum destructum reperitur. In eorum ambitu vel sanguinis massae montium

86) Sachsius, pag. 55.



instar ac vallium conspiciuntur, quae vero solidae sunt, neque excrescentiarum spongiosarum speciem exhibent, occultius etiam ad illas usque condensationes extenduntur, quae in posteriori laryngis pariete forma semper magis acuminata deorsum vergunt, clareque demonstrant, eas, qua pseudo-membranas in ulceris ambitu ex inflammationibus ortas, in massas carnoso-membranaceas transiisse, vel frequenti inflammatione pseudomembranis repletae sunt (87). Sic quoque in anteriori laryngis pariete similes invenimus destructiones, suppuratione productas, quae ad glandulas, cutem ac cartilagines pertinentes modo superficiem, modo profunditatem corripuerunt, ideoque sive organon multipliciter transformatum ac mutatum, sive penitus mutilatum sistunt. — Hi status pathologici omnes omnino semper praegressam antea suppurationem glandulosarum laryngis partium sequuntur. Fieri non potest, ut, quae de conditione cadaverum sectorum referuntur, omnia ea contineant, quibus morbus iste explicetur, et norma quaedam constituatur, ad quam ejus phaenomena sint exigenda, cum pro causis agentibus, pro constitutione aegroti, pro gradu mali, quod in singulo homine locum habuit et cet. nunquam non reperta varie ac mutabilia videri possint. Quocirca

87) Thomanni Annales instituti medico-clinici Wurzeburgensis, 1800, pag. 165 — 170.

supra allatae et inventae cadaverum in larynge conditiones, quae multis in casibus, ut indicatae sunt, occurrunt, hoc loco sufficiant.

---

## *Aetiologia.*

Quaevis gravis externa laesio, praevalente constitutione scrophulosa, quae contusionem partium internarum sequelam habet, phthisi causam potest subministrare. Vapores materiarum acrium et irritantium, continuo inspiratae, inflammationes et indurationes in partibus glandulosis provocare valent, quae postea in suppurationem abeunt et tali modo phthisin adducunt. Haemorrhagiae regressae et supressae, ut haemorrhoïdes, menses, cum actionem morbosam vicariam in laryngis organis provocant, quivis porro congestionis status ipse, magnis stagnationibus et indurationibus in organis abdominis effectus, ut in hypochondriacis ex haemorrhoidibus laborantibus saepe reperitur, frequenter destruendo agit in membranas pituitarias et glandulas laryngis, qua de re exempla affert Dr. Ficker (88). Exanthemata formae acutae, quatenus peculiari quadam cutis debilitate et irritabi-

88) In Hufelandi Journal XLVIII. Band, IV. Stück, pag. 26. etc.



litate, subito cutis refrigeratione, prava curandi methodo et cet. facile vaga fieri solent, et ita cutem internam ac glandulas laryngis morbose corripiunt, ipsa cutis nimia sensibilitas, secretionem materiarum impediens, talique modo dyscrasiis in corpore oriundis occasionem praebens (89), haec omnia, inquam, inter phthiseos causas sunt numeranda. Ejusmodi dyscrasibus accenseri inprimis debent rheumatica, arthritica, leprosa, herpetica, quae modo superficiem laedunt et indurationes, nodos et exanthema ad unam alteramque formam peculiariter pertinens progenerant, modo etiam partes magis internas, praesertim membranas pituitarias organorum respirationes invadere et inflammationes, indurationes, auctam muci excretionem et ulcerum formas excitare possunt (90). Catarrhus porro chronicus, quatenus diuturnitate vel negligentia, inprimis debili respirationis organorum habitu praevalente (91), et ubi nulla vel imperfecta tantum crisis locum habuit, in organismi quasi consuetudinem transiit, subitaque frigoris ac caloris vicissitudine, praesertim si cum humore conjuncta est atque per momenta noxia epidemica et endemica denuo jam fortius jam minus graviter excitatur, talis catarrhus multis certe in casibus formationi tubercu-

89) Sachsius, pag. 58.

90) Sachsius, pag. 59, 60 et 62.

91) Richters Specielle Therapie, II. Band, pag. 98.

lorum ansam praebet, qui deinde in suppurationem abeunt et sic phthisin laryngeam plane excultam inducunt (92). Quaelibet laryngis inflammatio charactere hypersthenico, synochali conspicua, ut laryngitis acuta, angina membranacea et cet., itidem phthisin partis memoratae provocare valet, vasa lymphatica ac glandulas corripiendo, et malo in exitu praecipue in suppurationem posteriorum organorum transeundo. Plurimis in casibus acuto suo decursu vomicam gignet, quae postea rumpitur et exulceratam consuetam ob oculos ponit. Syphilis, sive manifesto appareat, sive occulti veneni instar in corpore serpat (93), non semper, more suo usitato membranam pituitariam faucium, sed modo serius modo ocius eam quoque laryngis occupat, et tali ratione phthisin quandam progenerat, de qua viri celeberrimi Altenhoferus (94), Josephus Louvrier (95) H. Hawkinsius (96), Carolus

92) Richteri: Specielle Therapie, II. Band, pag. 94. — Bieneri Dissertatio de catarrho, Kienberg, 1801, pag. 26. — Winnekisi Dissertatio de catarrho, Berolini 1821, pag. 35. — Marci Specielle Therapie, II. Band, §. 1109. Lorinseri opus, Ueber die Krankheiten der Lungen, Berolini 1823, pag. 64.

93) Sachsius, pag. 108.

94) Russische Sammlungen für Naturwissenschaft und Heilkunst, 1. Band, 1. Stück, pag. 36.

95) Darstellung syphilitischer Krankheitsformen, Wien und Krems 1819, pag. 363.

96) Salzburgische medicinisch-chirurgische Zeitung, 1824, IV. Band, pag. 56.



Bellius (97) exempla idonea afferunt. Porro quilibet copiosus Mercurii usus, quatenus febrem mercurialem, ulcera ac magnam membranae mucosae debilitatem gignere potest, causa et ratio phthiseos laryngeae existere potest (98). Quod denique scrophulas attinet, hae sane tanquam causa frequentissima phthiseos sunt considerandae, cum partes glandulosas directe aggrediantur.

---

## *Prognosis.*

Haec in universum sequitur constitutionem corporis et aetatem aegroti, causas nocenter agentes actionemque continuantes, malum plus vel minus progressum, complicationes cum aliis morbis, denique quali conditione sit aeger, et num valetudinem suam bene vel male tueatur et foveat, diligenter respicit. Speciali modo sic colligitur: quo valentior ac robustior constitutio, quo minor opportunitas ad phthisin in universum et habitum scrophulosum adest, et quo magis homo juvenili aetate viget, eo major quoque

97) Rheinische Jahrbücher für Medicin und Chirurgie, II. Band, II. Stück, pag. 57.

98) Sachsius, pag. 29. — H. Hawkinsius in Salzburgische medicinisch-chirurgische Zeitung, IV. Band, 1824, pag. 56.

[illegible] apparere fore, ut ulterior mali progressus inhibeatur. Quodsi contraria criteria praesto sunt, affectio omnibus utique et celebratissimis remediis pertinaciter resistit, atque modo serius modo ocius cum omnibus symptomatibus colliquationi propriis, morte terminatur. Porro quo simplicius passio ex affectionibus phlogisticis glandularum mucosarum ac lymphaticarum evolvitur, sine dyscrasiis praegressis et per annorum spatia in corpore obviis, eo meliora sunt omnia. Quo maturius malum agnoscitur, quo diligentius aegroti omnibus momentis nocentibus epidemicis et endemicis se subtrahunt, quo exactiori cura medica frui possunt, eo certius sanitate recuperata gaudebunt. Quo citius malum ingruit, sine affectionibus phlogisticis in membranis pituitariis laryngis, diu jam praegressis, quas communiter insignis subsequitur debilitas, eo majoris momenti ac symptomatibus distinctius expressus morbus initio videbitur, sed simul ac non deest maturum auxilium, profecto facilius erit sanabilis, quoniam major vis et energia in organis suppetit, qua causis nocentibus meliori successu occuratur. Quo complicatius malum prodit, eo magis anceps ac turbata prognosis, quo altius ascenderit, eo magis res erunt dubiae. Phthisis exulcerata minus periculi habet, quam ea, quae e vomica

99) Baumeri l. c., T. 1., pag. 291. — Richteri Specielle Therapie, IV. Band, pag. 603.



est. In infantibus morbus periculosior est, quam in adultis. Phthisis e causis syphyliticis orta propter certam et constitutam curandi rationem prae quavis alia diversis e causis nata optimis forsan gauderet auspiciis, nisi experientia ob venenum venereum in corpore non prius exstirpatum, et inde occultatam mali naturam diagnoseosque majorem difficultatem pejoribus fidem faceret vaticiniis, nisi praeterea in manifesta laryngis per ulcera syphilitica affectione exitum saepius lethalem doceret, ut e. g. Altenhoferus affirmat (100): se inter 1200 aegrotos in nosocomiis publicis morantes 25 cito semper cum morte hoc in morbo conflictantes vidisse. Si porro experientia remediorum antivenereorum vim minus sufficientem in posterum confirmaverit, uti Cullerierius contendit (101), bona secundaque omnia an sint adfutura in dubium vocari poterit, praesertim cum, quod equidem sciam, paucis tantum in casibus morbum hunc feliciter esse sanatum compertum nobis sit.

100) In Russische Sammlungen für Naturwissenschaft und Heilkunst, 1. Band, 1. Stück, pag. 36.

101) Dictionaire des sciences medicales, tom. IV, pag. 528, ubi Cullerierius primum ait: „Chancres avoit „son siège au bord inférieure du cartilage thyreoide, qui „étoit un peu carié et échancré dans cet endroit.“ postea vera sic pergit: „N'ai trouvé d'indices qu'une phthi„sie laryngée fut venerienne, et que je n'ai vu aucune „amélioration produite par les antivénériens.“ Unum autem tantum casum observavit!

## Cura.

Huic, primam indicationem sequenti, proposita est causarum occasionalium remotio, eaque indicatio ideo maximi propemodum est momenti, quia ars illa haud neglecta plurimum valet, parum vero vel nihil, si morbus jam penitus est excultus. Hoc loco de causis principalibus et quomodo sint tollendae, disseram. Quatenus igitur phthisis tanquam syphilidis sequela toto morbi decursu acuta magis forma insignis est, et, ut in diagnosi dictum, vel ceu bubo clausus, aliis verbis, ceu vomica, vel exulceratae specie apparet, exactiori tractatione therapeutica dignam eam judicavi, quam reliquas causas postea commemorandas. Simul enim ostendere libet, causam quamcunque non solum tanquam in singulum ac locale organon nocenter agentem, sed longiori mora tanquam statui morboso universali ipsi quasi inhaerentem considerandam esse. Forma phthiseos syphilitica adeo plurimis in casibus profecto usum unicum et exclusivum mercurialium exposcit, eamque ob causam sententiae a Cullerierio prolatae (102), accedere dubito, qui nullam medendi rationis antivenereae indicationem invenisse fatetur, item mercurialia nihil conducere asserit. Observationes

102) Dictionnaire des sciences medicales. Tom. IV. pag. 528.



potius Sachsii (103), Josephi Frankii (104), Josephi Louvrierii (105) et Hawkinsii (106) me hi quoque suadent ut usum mercurialium haud rejiciam. Nihilominus exstant conditiones, quae Mercurii usum plane interdicant, e. g. nimia debilitas, quae et ipso veneno syphilitico (107) et diuturno continuoque Mercurii usu, viro syphilitico nondum deleto, progenerari potest, malum nimis progressum, febris valida hectica cum colliquationibus conjuncta. Sic vero Josephus Frankius (108) Mercurium, inquit, salutarem non esse, si jam ulterius morbus sit progressus. Hawkinsius (109) acutam ulcerum in laryngе formam, ubi simul virium totius organismi defectio adest, remedia excitantia requirere censet, quorum usus vero ob statum phlogisticum in larynge obvium magnam desideret cautionem. Suadet igitur, ut vapor fol. Cicutae virosae inspirari jubeatur, et diaeta alendo apta observetur. Secundum ejus sen-

103) Pag. 69.

104) Annales clinicae, pag. 48.

105) Darstellungen syphilitischer Krankheitsformen, pag. 363.

106) Salzburgische medicinisch-chirurgische Zeitung, IV. Band 1824, pag. 65. etc.

107) H. Hawkinsius in Salzburgische medicinisch-chirurgische Zeitung, 1824, IV. Band, pag. 56.

108) Pag. 49.

109) Salzburgische medicinisch-chirurgische Zeitung, 1824, IV. Band pag. 65.

tentiam optima remedia interna sunt Ammonium, et Sassaparilla, cujus posterioris syrupum commendat. *In forma magis chronica* itidem Sarsaparillam, verum etiam inhalationem vaporum Mercurii praecip. rubr. et Zinnabaris adhibet. *In forma dolorosa* denipue usum Mercurii omnino vetat, contra vero prosperum successum animadvertisse credit ex usu Opii, magnis dosibus porrecti, nec minus ex adhibitis vaporibus decocti Opii et Acidi nitrici, aqua diluti. In adjumentum etiam Hirudines et Vesicantia adhibere posse putat. Pessimis casibus, imo si bubonis suppurantis praesentia sit praesumenda, Emeticum propinari potest, ut pus evacuetur, vel et chirurgia operativa suas agit partes. Larynx videlicet aperitur, bubo compungitur, ulcus optimo cum successu solutione quadam lapidis infernalis adspergitur. Thomannus de usu Mercurii sequentibus verbis judicat (110): „Increscente itaque febre sub lentescentis forma, aucto in trachea dolore, accedentibus muci purulenti „excreatione, passim et tussi majoribus circa fauces „exulcerationibus facile conspicuis, difficiliore deglu„titione, voce exili seu clangosa, auxilium praestite„re granum unum Mercurii dulcis cum dimidio Opii „per diem exhibitum, per reliquum vero diei tempus „decoctum Lichenis Islandici, passim et decoctum „Corticis Peruviani et vapores et inunctiones." Tum

110) Pag. 169.



demum in usu remediorum roborantium ac nutrientium acquiescit, si omnia symptomata in pejus abeunt, potus sorbitio suffocationem minatur, vox tenuissima ac loquelae defectus apparet. Ubi colliquationes praesto sunt, nihil praeter Opium adhibet, ut passio leniatur. Richterus (111) sententiam suam his verbis explicat: „Da Schwäche der Schleimhaut meistens die „Veranlassung ist, daſs das venerische Gift die Lun„gen ergreift, und nicht seinen gewöhnlichen Abla„gerungsort im Rachen, so verbinde man hier mit „dem Merkur örtliche, das kranke Organ stärkende „Mittel, als Lichen Islandicus, Radix Poligalae ama„rae et Cortex Chinae, wenn anders der Zustand nicht „etwas Entzündliches hat." Cullerierii (112) ratio, cur ea, quae supra commemoravi, statuat, partim posita est in praeconcepta ejus opinione, quod ulcus syphiliticum raro admodum in larynge deprehendatur, partim in ea, quae ei in vita, arti salutari per 26 annos exercendae dicata, obtigit experientia, qua unum tantum morbi casum hujus generis ei oblatum observavit. Ipsa ejus verba haec sunt: „Je n'en ai ren„contré qu'un seul sur environ quatre-vingt mille „malades, que j'ai soignés depuis vingt-six ans." Sachsius affirmat (113), vanum esse timorem, quo

111) Specielle Therapie, IV. Band, pag. 666.

112) Dictionaire des sciences medicales, tom. IV. pag. 528.

113) Pag. 71.

praesumatur, febrem hecticam usum Mercurii omnino excludere. Sic igitur sententiae virorum celeberrimorum, quorum hic mentio est injecta, quoad Mercurii usum in syphiliticis phthiseos formis differunt. Nihilominus placitum illud certum ratumque esse credo, quod malum haud per longum temporis spatium perseverans in corporis constitutione alioqui bona; quamvis febris hectica jam adsit, curandi rationem mere antivenerealem, eamque adeo vehementiorem, admittat eventumque utique salutarem polliceatur. In affectione contra diutius morante, ubi vel venenum symhiliticum per annos in corpore serpserit tandemque debilitate praevalente laryngem sedem fixam elegerit, vel ubi diuturno Mercurii usu contra alias membranae pituitariae laryngis passiones partim debilitas in his totoque corpore, partim verus syphilidi valde similis morbus mercurialis procreata sunt, ab usu Mercurii, uti consentaneum videtur, abstinendum et in ea curatione, qua aegroto remedia roborantia, nutrientia symptomatibusque respondentia exhibentur, acquiescendum est. A cura subtrahente et diaetetica cum idoneo modo adhibitis lignorum decoctis profecto prosper successus esset exspectandus. — Catarrhus modo remedia requirit irritabilitatem systematis vasorum directe deprimentia, ut Nitrum, Sal ammoniacum depuratum, Sales medios et neutrales, Pulpam Tamarindorum et Cassiae, Mucilaginosa et Oleosa, modo vero etiam ejusmodi medicamenta,



quae sensibilitatem eoque indirecte systema quoque vasorum depriment. Qua talia consideranda sunt narcotica, extractum Belladonnae, Hyoscyami, Cicutae virosae, Digitalis purpurea atque in casibus ei rei accommodatis ipsum Opium, porro Acidum hydrocianicum, Aqua lauro-cerasi et cet. Modo postulat remedia resolventia et expectorationem promoventia, ut Mercurialia et Antimonialia modo Diaphoretica, modo revulsiva, ut Ipecaccuanham et Tartar. emetic. in dosi refracta. Extrinsecus commendandae sunt inhalationes vaporum calidorum, emollientium, florum Chamomillae, florum Sambuci et cet., in ipso loco affecto Hirudines, Vesicantia et s. p. Denique catarrho remoto remedia adhibemus membranam pituitariam laryngis roborantia, ut Chinam, Lichenem Islandicum, Polygalam amaram et Senegam. — Stagnationes et indurationes in abdomine poscunt modo extracta lenia et resolventia, ut extractum Graminis, Taraxaci, cum Salibus mediis et neutralibus conjunctum, modo remedia fortiter resolventia, ut extractum Belladonnae, Cicutae virosae, Chelidonii majoris, Acidum hydrocyanicum, aquam lauro-cerasi, Mercurialia et Antimonialia, modo drastica; postremo denique tonica porrigimus, inprimis Ferri praeparata. — Exanthemata acuta et chronica regressa, ut rheumatismus requirunt remedia diaphoretica et valide revulsiva. Scrophulae denique exigunt antiscrophulosa cum remediis resolventibus et roborantibus consociata.

Secunda indicatio in eo versatur, ut, si nulla adhuc praesto sit suppuratio, haec praecaveatur. Pertinet igitur ad primum morbi stadium. Quatenus hoc phlogisticum est, apparatus antiphlogisticus, sed ob minorem, quam in laryngitide acuta, vehementiam modo tantum circumscripto adhibetur. Pro gradu inflammationis exhibemus Nitrum cum Emulsionibus et extracto Hyoscyami junctum, Sal ammoniacum depuratum, et quidem fausto admodum successu, dosibus ad ℥jv quotidie ascendentibus, Acidum hydrocianicum, narcotica, Antimonialia et Mercurialia, diversa Sulphuris praeparata et cet., vapores calidos, emollientes flor. Chamomill., Sambuci, Malvae et cet., cum Spiritu vini et Acido acet. conjunctos, inhalare jubemus, Hirudines et Vesicantia loco adfecto admovemus, calida pediluvia et integra balnea praescribimus. Victus ratio magis sit refrigerans, quam nutriens. Hac medela statim quoque utimur, si conditiones inflammatoriae intercurrentes in suppurationis stadio locum habent. Quodsi omnibus remediis, quae allata sunt, adhibitis, nihilominus primum stadium in secundum transeat, tum

tertiae indicationi is finis propositus est, ut benigni puris productio promoveatur et, si fieri possit, ulcus ad formandam cicatricem cogatur. Ad sustentandum igitur et adjuvandum gradum energiae sufficientem ac necessarium in systemate irritabili, ex quo boni puris productio tota pendet, Tonica sunt inprimis, quae huic indicationi respondeant. Talia sunt extracta amara, haud calefacientia, ut et radix Polygalae amarae, magis adhuc lingum Quassiae, radix Columbo, praesertim vero Chinae infusa et decocta et Lichen Islandicus. Porro ad tollendum statum febrilem et bonam puris secretionem parandam, et ut ulceris cicatrisatio adjuvetur, cum remediis roborantibus Acida mineralia consociamus, praecipue Acid. phosphoric. dilut., Acid. sulphur., Acid. muriaticum.



Quodsi hac ratione indicationi, quam posui, tertiae, satisfacere contenderimus, quia cum phthisi laryngea semper aucta laryngis receptivitas ac tussis pertinax, molesta, spasmodica conjuncta esse solet, quae, quo minus ulcus claudatur, impedit, praeter tonica omnino remedia mitigantia et narcotica sunt adhibenda. Hanc ob causam medicamentis memoratis inprimis Ipecacuanham in dosi refracta, Acidum hydrocyanicum (114), Hyoscyamum, Digitalem purpuream et Opium interponimus. Ad removendam indurationem in ulceris ambitu, quatenus sanationi ejus impedimentum infert, efficacissimis utimur resolventibus, ut Conio maculato, extracto Aconiti et Belladonnae, Hepate Sulphuris salino et Antimonialibus,

(114) Schaefferus in Hufelandi Journal, LIII. Band, V. Stück, pag. 34.

pro re nata etiam Mercurialibus, cum Opio vel Hyoscyamo nuptis, et cet. Porro, irritatione phlogistica penitus sublata, commendatur inhalatio pulveris carbonici, vaporum picis liquidae, item herbae Chenopodii ambrosioidis (115), ut partim ulceris ambitus a pure foetido repurgetur et arctioribus limitibus circumscribatur, partim ut eo ipsum ulcus ad sanitatem perducatur. Extrinsecus in collo modo Linimentum camphoratum, et Unguentum Neapolitanum, modo Fonticulos, modo Setaceum ac Moxas adhibemus (116). In ipsis casibus pessimis faustissimum eventum conspicimus ex usu Cauterii actualis, vel facta laryngotomia, si locus ulceratus ipse solutione Lapidis caustici et lapidis infernalis conspergitur (117). Vomicis simul obviis has aperire solemus.

Diaeta semper mitis, nutriens ac roborans sit oportet. Regredientibus tantummodo conditionibus phlogisticis cum antiphlogistica permutanda est. Tanquam remedium diaeteticum utique commendandum admodum celebratur semen halecum salitorum, cujus, ventriculo adhuc vacuo, unum vel duo frustula sunt sumenda. Per tres hebdomades solo hoc remedio adhibito, phthisis quaedam laryngea radicitus sanata fuisse fertur (118). Efficaciam suam vel maxime multae, quam continet, gelatinae ac mucilaginis copiae acceptam refert. Porro hic sunt commendanda varia lactis genera, praesertim lac equarum et asinarum.

115) Dr. Ficker in Hufelandi Journal, XLVIII. Band, IV. Stück, pag. 29.

116) Delpitii Dictionaire des sciences medicales, pag. 270.

117) Charles Bell in Rheinische Jahrbücher für Medicin und Chirurgie, II. Band, II. Stück, pag. 59.



Postremo quartam eamque ultimam indicationem sequentibus propositum est: incommoda aegrotorum minuere et symptomatibus molestis pro virili parte occurrere. Quatenus haec indicatio ad singula symptomata et periculum minitantia refertur, medendi ratio mere symptomatica est. Hinc mox tussim pertinacem, vehementem ac spasmodicam lenire nitimur, dum patientibus decocta mucilaginosa radicis Altheae, Salep, Sago, florum Verbasci, Tapsi, emulsiones calidas, cum Opio vel extracto Hyoscyami junctas porrigimus. Expectoratione gravi, difficili, stagnante, obvia haec remedia utique etiam cum parvis dosibus Sulphuris aurati Antimonii ac Vino emet. consociamus. Attamen hac in periodo sane pauca, saepe nulla omnino medicamenta liquida sumi poterunt, ideoque ad inspirationem vaporum calidorum, mollientium, ad cibos solidos magis et gelatinosos cum Opio et extracto Hyoscyami curam sic circumscribendo confugi-

118) Dr. Sumerling in Hufelandi Journal, LIII. Band, III. Stück, pag. 115 — 123.

endum erit. Nocturnae quietis defectum et insomniam Opio levamus, sudores colliquativos operimentis refrigeratoriis, crebra linteorum ac lectorum permutatione, usu interno Acidorum mineralium, nominatim Acid. phosphor. dilut., Elixirii acid. Halleri et Mynsichti, vehiculis mucilaginosis praebitis, seris aluminosis et remediis e Saturnio paratis. Alvi profluvia colliquativa desiderant Gummi Kino, Cascarillam, corticem Simarubae et lignum Campechiense, extrinsecus enemata adstringentia et fomenta aromatica in abdomine. Decubitus postulat lotionem cum Aquis adstringentibus e Cortice Chinae, Salicis, Quercus. Posteriosis remedii praecipitatum Plumbo acetico effectum vulgo sumitur, vel etiam omnia in substantia adhibentur. Aphthae denique gargarismata, eaque adstringentia, cum Acido muriatico nupta, requirunt.